RF999

# VITA

*VENERABILIS PATRIS*

# EMMANUELIS CORREÆ

E SOCIETATE JESU

IN BRASILIA MISSIONARII

UNA CUM ADJECTIS ANIMADVERSIONIBUS HISTORICIS

*IN FANO S. MARTINI,*

MDCCLXXXIX.

RPJCB

# Editor Lectori.

I*ncidit fortuito in manus meas Vita scripta Venerabilis Patris Correæ S. J. quam postea cognovi conscriptam jamjam fuisse, antequam Breve Clementis XIV. Societatem JESU extingueret. Hanc ego cum perlegerem, animadverti, pulchra omnino & tersa latinitate nitere. Quamobrem dignam judicavi, quæ in publicum prodeat, atque hoc imprimis tempore, quo lingua hæc pretiosa in neglectum abit ac fere intercidit: quanquam nunc æque atque in præcedentibus sæculis communis eruditorum sermo persistere deberet. Quid enim pluribus nationibus tam longo locorum intervallo disjunctis, tamque multiplici idiomatum genere discrepantibus optatius esse potest, quam in stadio litterario una aliqua communique lingua conjungi? Mihi legenti nihil profecto accidit jucundius, quam versare librum Latinum, casto tersoque ac eleganti stilo ornatum.*

*Habes igitur hîc ſtudioſa juventus librum uſibus tuis adaptatum, qui puro, nativo emendatoque ſtilo niteat. Habent & viri præprimis Religioſi atque ad ſublimiorem vitæ Chriſtianæ gradum aſpirantes, in quo plura virtutum documenta & exemplaria ad imitandum intueantur. Sentient, opinor, hi legendo quoddam quaſi calcear ſibi admoveri, quo & ipſi ſanctimoniam non communi vulgarique inſtituto, ſed proprio quodam & exquiſito ſtudio conſectentur.*

*Animadverſiones, quas Lector ad calcem Vitæ hujus adjectas reperiet, ejusmodi ſunt, ut his, quæ a paucis retro annis geſta ſunt, Luſitanicis præcipue rebus, multum lucis hiſtoricæ affundant. Habent autem & iſtæ hoc cum ſcripta Vita commune, quod & ipſæ elegantis nitidæque latinitatis laudem ſibi vendicent.*

# VITÆ
# P. EMMANUELIS CORREÆ
Societ. JESU Prov. Brasil.

## LIBER I.

### CAPUT I.

*Ejus Ortus, & Pueritia.*

Scalabi Lusitaniæ oppido nobili ac pervetusto, parentibus una, quod sciam, pietate claris natus est Pater Emmanuel Correa anno circiter duodecimo hujusce fluentis sæculi XVIII. Cereum ab ipsa natura ingenium, & in omnem virtutem flexibile pulchre instituit finxitque sedula parentum cura. Hinc puerile in eo præter ætatem nihil; nam ab illis etiam ludis, quibus tantopere delectantur pueri, ad seria cuncta natus abstinuit. Unum erat oblectamenti genus illi jucundissimum, parva nimirum altaria exstruere atque exornare, sacros ritus

& eccleſiaſticas imitari ceremonias, in chartis depingere Cœlitum imagunculas, præſertim Deiparæ, ac S. Aloyſii Gonzagæ, quem a prima pueritia in ſingularem Patronum ſibi adlegerat.

In illa ætatula ſui jam rerumque fluxarum contemptor egregius, ab omni calamiſtro & corporis cultu ſic fuit alienus, ut nemo unus ex ejus æqualibus tam eſſet munditiarum ſtudioſus, quam ille fuit negligens. Veſtes amabat ſimplicis nativique coloris; ex bombice aut ex lanis murice imbutis factas oderat. Quam ob rem licet ejus eſſet adverſus parentes obſervantiæ, ut eorum imperia ne leviſſime quidem auſus ſit unquam detrectare, ſiquid tamen exquiſitius circa corporis ornatum imperaſſent, moleſtiſſime parebat. Ut patri aliquando morem gereret, elegantiorem ſibi ex ſerico veſtem impoſuerat; ſtatim vero tanta eum ſatietas cepit ac faſtidium mollioris luxús, ut imperare ſibi non potuerit, quominus in vicinum lacum ſe injiceret; indumenti videlicet nitorem deformaturus. Quod quidem facinus cæteroquin generoſum & a virtute profectum, inconſideratum tamen & temerarium, atque etiam cum vitæ periculo ſusceptum, haud impune domi tulit. Luculenta inſuper extitere futuræ prælu-

dia

dia sanctitatis ; prudentia in puero ſenilis; pietas , religioque erga Deum ſingularis , atque pro ea ætate admirabilis ; vultûs modeſtia et morum ſuavitas Angelo digna. Talis porro fuit in ipſa pueritia; quales vel in ſenectute etiam multos optaremus.

Nondum exceſſerat e pueris, cùm patrem amiſit, in cujus locum ſuffectus eſt avus , vir domi copioſior , militiæque non ignobili gradu decoratus, qui etſi nepotem ad armorum quam ad litterarum ſtudia incumbere mallet; bonis tamen artibus imbutum voluit, antequam militiam profiteretur. Eum igitur ab elementario ludo ad Societatis gymnaſia grammaticam & amœniores diſciplinas edocendum traduxit. Neque hic, ut uſu plerumque venit lubricæ adoleſcentiæ , pravo æqualium exemplo ad levitates et morum corruptelas animum applicuit : illum nemo unquam vidit tempus cum gregalibus inepte conſumere, nugari, garrire, colludere, concurſare, aliave hujusmodi conſectari, quibus ætas conſilii inops tantopere capitur ac delinitur. Pedem domo, niſi cum ad templa vel ad litterarum palæſtram ſibi erat eundum, fere nunquam efferebat; ut in adoleſcentem noſtrum illud quadrare videretur, quod de contubernali ſuo Baſilio Athenis litterarum ſtudia exco-

lente affirmaffe Nazianzenum accepimus : duas nimirum tantummodo vias ei notas fuiffe ac tritas, alteram quæ ad facras ædes, alteram quæ duceret ad præceptores.

Erat non modo egregia virtutis indole, verum etiam alacri præftantique ingenio; quam ob rem non minus litteris quam bonis moribus proficiebat. Mufas colebat fed virgines, quas unis cœlitibus, potiffimum vero Deiparæ cogebat ancillari; nullum enim unquam nifi pium pangendorum carminum affumpfit argumentum. Otium capitali odio profequebatur : quidquid temporis ab litterarum ftudio fupereffet, exercitationibus pietatis dabat. B. Virginis, quam ut matrem fuaviffimam ab ipfis pene incunabilis amare cœperat, rofarium quod vocant, multo pietatis fenfu quotidie percurrebat; ultimo vero cujusque hebdomadis die Deiparenti facro addebat jejunium, peculiares preces & corporis afflictationes. Principe fecundum Virginem cultu profequebatur Angelum fui Cuftodem, & alterum deinde Angelum Aloyfium. Sanctiffimum juvenem & amabat juvenis, & omni ope vel ipfa corporis externa conformatione imitari ftudebat. Modeftiffimi plane adolefcentis verecunda indoles ac vultus ipfe virginalem in modum compofitus omnibus

bus amorem sui, vel saltem reverentiam quodammodo imperabat. Ex quo fiebat, ut siquid salacis argumenti, uti fit inter protervam juventutem, in medium aliquando effutirent vesani nugatores, eo adventante vel tacerent omnino, vel saniora loqui deinde pergerent.

Jam tum ad divinum Epulum frequenter accedere, accuratissima sui apud sacerdotem expiatione præmissa, illi solenne fuit. Id enim singulis diebus dominicis religiosissimo instituto constanter usurpabat, ut omittamus intercurrentes Virginis Matris Cœlitumque nominatiorum festos dies, quibus eam religionem non obire religioni sibi duxisset. Ex piis quoque quos lectitare consueverat, libris cum didicisset, ad habendos in christianæ vitæ instituto progressus illud maxime juvare, ut ideoneo se quisque animorum rectori credat, cui plena fiat interioris status notitia, probam ipse Societatis sacerdotem, cui animi rationes omnes aperiret, stabilem conscientiæ suæ ducem adhibuerat. Hunc identidem adibat, consulebatque de rebus ad pietatem spectantibus; faciliorem ab ipso viam exquirebat divina rite commentandi, unice intentus addiscendis christianæ philosophiæ artibus,

quibus Procreatori Deo religiosissime servire & gratificari posset.

Ergo adolescentis animus suapte sponte ad honesti amorem pronus, sic fingentis topiarii manum obsequendi facilitate sequebatur, ut brevi florere sit visus elegantissimis virtutibus. Eminebat vero inter alios flores illibatum pudicitiæ lilium, quod ipse, nuncupato ad aram divinæ Matris castimoniæ voto, Deo consecravit. Id ægre admodum tulit veterator ille humani generis hostis, & tenerrimum florem venenato halitu aliquando afflare, nequidquam tamen, aggressus est. Erant inter coævos adolescentes nonnulli ad speciem frugi, re tamen ipsa nequam & impudici, qui die quodam æstivo, salubrioris auræ captandæ simulatione, Corream nihil mali suspicantem in suburbanum adduxere. In secretiorem locum ubi ventum est, tum demum apparuit, quid insidiarum castissimo juveni tetendissent impurissimi nebulones. At ille ubi malum dolum præsensit, primo quidem ad inexspectatum flagitium tota mente cohorruit; deinde cum paululum se ex horrore collegisset, optimum ad obtinendam victoriam consilium in difficili pugnæ genere, sibi fugam proposuit, in quam tanto se impetu conjecit, ut immanem fossam currenti obviam inoffenso pede transili-

ſilierit ; quod humanis viribus vix fieri potuiſſe poſt compertum eſt. Quamvis eo in ſtadio victor , nihil tamen audacior ob reportatam victoriam, imo ex recentis periculi memoria cautior factus in poſterum ab omni dein vel ſuorum æqualium conſuetudine ſe quam diligentiſſime ſubtraxit, ne quid minus purum ex ea familiaritate ad intaminatos mores aſpiraret. Præterea cum probe animadvertiſſet , delicatiſſimo flori eam eſſe naturam, ut inter dura & aſpera tutiſſime ſervetur, nihil habuit antiquius, quam ut aſperis ciliciis flagriſque innocens corpus ſeveriſſime maceraret. Cum eo de nimia in affictando corpore ſeveritate. Mater crebro expoſtulabat ; cæterum cum a pia crudelitate fruſtra filium deterrere conata eſſet, operam dedit ut arma, quibus ipſe nocte concubia in ſe hoſtiliter animadvertebat, furtim ſubducerentur. Nihil tamen hac induſtria profectum eſt , alteris enim ſublatis altera ille flagella eaque ſeveriora ſtatim ſubſtituebat, & nullam adeo noctem abire ſibi patiebatur verberationis expertem, ut ne in ſumma quidem laſſitudine nocturnæ quieti ſe daret ſine prævia flagelli, quo ſe acriter cæderet, tractatione. Beatis Stanislao Koska, & Aloyſio Gonzaga ſolemniter in ſanctorum indicem relatis , data fuerat ad plauſum il-

lustris tragædia in Collegio Scalabitano. Ibi ergo pernoctavit adolescens noster, qui principem personam sustinuerat; ac licet ætas, & ab horarum trium actione defatigatio somnum suaderent, adduci non potuit, ut cubitum prius iret quam ei Patres flagra commodarent, quibus se pro more tunderet.

Quasi vero non sat propriis sævitum esset, alienas etiam in se pia fraude manus armavit. Ad publicum enim gymnasii Correctorem, præceptoris injussu, frequenter accedebat, vultu per summam dissimulationem in mœrorem composito, qualem nimirum alii ex vero sontes induere solebant, cum vapulare jubebantur. His igitur indiciis sontium in numero plane habitus, flagris a correctore liberaliter accipiebatur. Cum vero eam pœnam fere quotidie subiturus illi se sisteret, incepit hominem commiseratio erga juvenem, quem cæteroquin nota morum probitas plurimum commendabat: quare præceptorem conveniens rogat, ut pro sua benignitate mitius agat cum adolescente illo optimo; nihil enim sibi ad dolorem acerbius accidere posse, quam ut eos artus singulis prope diebus obtundere cogatur. Attonitus rei novitate præceptor: ain tu vero, inquit, singulis fere diebus istum verberas? & illo affirmante: atqui ego, ait, eum vapulare

lare nunquam juſſi ; qui enim fieri poſſet, ut adoleſcentem, quo probiorem in diſcipulis habeo neminem, quotidie flagris ſubjectum vellem? ipſum deinde pulchræ fraudis artificem ad ſe accerſit, remque non ſine confitentis rubore edoctus, egregiam in ea ætate virtutem vehementer eſt admiratus ; cæterum ne in poſterum eadem factitare pergeret, ſevere interdixit.

Non magis macerando corporis, quam animi motibus cohibendis ſtudebat, quos ſic in rationis poteſtate continuit, ut nullum ederet commotioris ſtomachi ſignum, injuriis etiam perquam atrocibus laceſſitus. Ex condiſcipulis nonnulli ægre ferentes in coævo adoleſcente eam vivendi rationem, quæ perditos ipſorum mores tacita quadam cenſura configebat, primo quidem clam obtrectare, effrænata deinde audacia etiam præſentem omnibus contumeliis onerare non dubitarunt. Opportuniorem enim aliquando & locum & occaſionem nacti male feriati ſcurræ omne conviciorum genus libere in ipſum evomuere : hic imberbem ſolitudinis cultorem, ille facetum inſititiæ ſanctitatis hiſtrionem per contemptum appellabat ; pluraque id genus effundebantur aculeata dicteria, quæ vel mitiſſimo cuique bilem commoverent. Interim manſuetiſſimus adole-

ſcens aſtabat inter petulantes ac protervos conviciatores placido vultu, & tantam præſeferente ſuavitatem, ut eum merito componeres ſanctiſſimis illis Chriſti Athletis, quos olim melle illitos culicum ac veſparum aculeis compungendos ad ſolem exponebant crudeles Idolorum cultores. Cum vero jam ludibriorum affatim tranquillo animo devoraſſet, modeſto tandem riſu converſus ad ſcurras petulanter inſultantes, pergite, inquit, ſi lubet, nec dum enim ſatis laudum in me conjeciſtis. Quo quidem joco multo validius eorum inſolentiam ac petulantiam fregit, quam ſi paria paribus retuliſſet.

Hæc id ætatis adoleſcens, & his fortaſſe clariora edidit ſanctitatis argumenta; affirmabat enim Sacerdos quidam e noſtris, vir antiquæ ſimplicitatis Correæ noſtri æqualis, & in Scalabitani Collegii ſcholis condiſcipulus, ſe teſtem præſentem & ſpectatorem extitiſſe rerum prodigiis ſimilium, quas in adoleſcentia ipſa Correa egiſſet. Eas vero neque hic, quem dixi, teſtis olim diſtincte expoſuit, neque ipſum modo, quippe qui jam pridem in vivis eſſe deſiit, pro explicatiori cognitione conſulere nobis licet. Illud compertum habemus, ab adoleſcente noſtro anticipatione tanta initam fuiſſe ſanctitatis viam

am, ut in ejus animo velut insculpta virtus atque innata videretur. Porro ipse cum Dei beneficia in se collata recenseret, illud identidem commemorabat, se ad amanda cælestia perquam benigne ab ipsis pene crepundiis a Deo vocatum fuisse. Atque inde ansam capiebat accusandi se negligentiæ, quod nimirum amantissimum Numen summa statim, ut par erat, charitate non redamasset.

## CAPUT II.

### *Ejus in Societatem ingressus, & tyrocinium.*

His moribus instructo adolescenti non poterat profanæ vitæ ratio satietatem ac fastidium non afferre. Quare de remittendo perituris rebus nuntio jamdudum cogitabat. Ne quid vero de re tanti momenti temere decerneret, multas religiosorum hominum familias sibi proponens, cuinam tandem sese adjungere consultissimum foret, diligenter secum ipse reputabat. Hæc dum agitaret animo, sentiebat occulto quodam instinctu se ad Societatem impelli; nostrorum enim hominum, quibuscum familiarior sibi consuetudo intercedebat, jam pridem mores probaverat. Post maturam igitur deliberationem inter eos demum, si potestas fieret, me-

mereri constituit. Ingressum tamen aperte moliri non audebat; ab eo scilicet palam petendo duobus maxime deterrebatur: alterum erat depressa ultra modum opinio, qua de se ipse sentiebat; indignus enim sibi videbatur, qui in sanctissimum Ordinem cooptari posset: alterum contraria mens avi, quem ab eo proposito valde alienum esse cognoverat.

Itaque collatis consiliis cum Patre, qui sibi confitenti aures dabat, ab eo exquirit, quid optimum factu videatur, ut voti compos fiat: atque illo asseverante, nihil opportunius videri, quam si res Deiparæ patrocinio impense commendetur; Patronam sanctissimam omni obsequiorum genere demereri studuit, ut ejus apud divinum filium auctoritate potentissimaque deprecatione sacramentum in Societate dicere sibi liceret. Et quidem spem magnam in charissimæ Matris ope collocaverat; in exspectatione tamen & necessaria optati sui dilatione unum erat illi solatium Societatis Patres crebro invisere, cum eisdem sermones conferre, ad eorum se mores & externam gravitatem conformare; amictus etiam rationem quodammodo imitari; nostrorum enim more petasatus ac palliatus incedere magnopere gaudebat: hinc quotiescunque locum aliquem

ad-

adibat ab arbitris remotiorem, expanso galero, togaque & pallio in Jesuiticarum vestium modum compositis atque aptatis, humi desigebat obtutum, eoque vultus & corporis totius habitu incedebat, ut Jesuitam non fictum cum diceres, sed factum.

Etsi vero summo in id studio esset intentus, ut avum cogitationes suas & consilia celaret; non ita tamen dissimulare potuit, quominus eum indicia nonnulla proderent Societatis candidatum. Quod ubi senex præsensit, nihil non tentavit, ut ab ea mente nepotem abduceret. Blanditiis pariter ac minis pugnatum est; quibus cum ne latum quidem unguem a proposito dimoveretur adolescens, adjiciuntur verbera; & in angustum conclave detruso, nisi ab incæpto desistat, atrociora denunciantur. Ille interim negotium ab hominibus pene desperatum apud Cælites ardentissimis precibus urgebat; atque hoc uno munitus clypeo telorum vim omnem retudit, ac difficultates strenue perrupit: avus enim, ferocia paulatim defervescente, haud multo post ad saniorem mentem rediit, & nepotis constantiam admiratus plenam eidem potestatem fecit pium consilium exequendi.

Correa igitur intimis gaudiis ob inopinatum successum delibutus, ad Collegii nostri

ſtri templum Deo ac Deiparæ gratias actum illico contendit. Deinde rem omnem ad Patres defert ; evanuiſſe nimirum domeſtica impedimenta, quæ ingreſſum remorabantur ; reliquum eſſe, ut incepta ipſi perficiant. Nec diu pro ſuffragiis laborandum fuit in bona adeo cauſa, quam egregia candidati merita perorabant. Quare ſumma omnium approbatione in Societatem admiſſus eſt die decima Kalendas Martii, anni a reparata ſalute 1729; ætatis vero ſuæ octavi ſupra decimum.

Optabat ille vehementer Indiæ, quæ ad orientem eſt, provinciis nomen dare, ut felicibus illis fidei præconibus annumeratus, barbaras gentes ab idolis ad veram Religionem traduceret ; pro ea occumbere per omnes cruciatus avidiſſimus æque ac paratiſſimus. Verumtamen orientalem expeditionem, ad quam copioſa manus ſacrorum militum paulo ante fuerat profecta, impetrare ſibi non potuit ; Provinciæ tamen Braſiliæ laborum æque feraci adſcriptus eſt ; eoque brevi tranſmiſſurus Ulyſſiponem proficiſcitur. Ulyſſiponem ubi pervenit, in Novitiorum domum receptus ſanctitatis iter jam pridem ſibi notum tritumque, quaſi tunc primum ingrederetur, tanto ardore eſt perſecutus, eosque in ſolida virtute proceſſus effi-

efficere perrexit, ut non modo ſocios ſtadio in eodem decurrentes longe anteiret, ſed veteranis etiam & emeritis admirationi eſſet. Seniores enim Patres tam illuſtrem in tyrone noſtro virtutis faciem agnovere, ut eum alterum ſocietatis Stanislaum paſſim appellarent. Nec minorem de ipſo habuit opinionem P. Henricus Carvalius, qui per id temporis provinciæ Luſitanæ præerat; nam ob ſpectatam ejus virtutem, cum inſtaret in Braſiliam profectio, eum cæteris Novitiis ſimul profecturis religioſarum functionum, quæ pro navigationis tempore obeundæ erant, moderatorem præfecit, ac penes Corream jus eſſe voluit non ſolum exigendi ab aliis ſolita pietatis exercitia, ſed etiam addendi conſuetis quæcumque ipſe pro ſua prudentia e re fore judicaret, ſociis haud gravate ferentibus, imperium in ipſos ad Corream ſibi parem deferri; norant enim, quam longo ille intervallo omnes antecederet, ſuſpiciebantque vel in imperante modeſtiam, & ſuaviſſimam indolem adamabant.

Ineunte Majo anni, quem ſupra diximus, e Tago ſolvit oneraria, quam Correa noſter conſcendit cum parva undecim tyronum manu, ſociis Braſilicam vineam excolentibus ſubſidio miſſa; quæ prudentiſſimi adoleſcentis ductu inter navigandum perinde ſe geſſit, ac ſi eſſet in tuta fixaque bene

con-

conſtituti collegii ſtatione. Horam e lecto ſurgendi conſuetam antevertebat ipſe, ut in peculiares preces ſe daret; quibus perſolutis, antelucanæ rerum divinarum meditationi, ut moris apud nos eſt, cum ſociis operam daturus, eos e ſomno excitabat. Cætera deinde religioſarum exercitationum penſa per ſtatas diei totius diſtributiones partitionesque tam accurate exigebat, ut nihil eorum, quæ tempus & locus paterentur, negligi ſineret; & præter exercitia Novitiis noſtris uſitata, paſſim novemdiales preces, aliaque pietatis officia indicebat, demerendis nimirum cælitibus, quos in patronos fauſtæ navigationis adſciverat. Singulis etiam noctibus Lauretanas preces, quibus ſanctiſſimæ Matris apud Deum patrocinium imploramus, & quinque decades Angelicarum ſalutationum pio cantu percurrentibus ſociis; ſuaviſſima ipſe & prope Angelica, qua erat præditus, voce præibat.

Jam inter Nautas ipſos & Vectores nota erat ac pervulgata Correæ virtus, cujus ille ſingulare ſpecimen dabat, præſertim cum elementa fidei ad rudiorem navigii turbam explicaret, atque ſubinde ad æternorum amorem concionem inflammaret. Quantum vero ſpei ac præſidii in ea, qua ipſe apud ſuperos pollere credebatur, gratia vulgo reponeretur, nihil æque declaravit, at-

que

que illa omnium conſpiratio & conſenſus, quo ſe quisque in re trepida illius preci-bus commendabat; ad eas enim tanquam ad ſacram anchoram undique confugiebatur, quoties objecta erat periculi ſpecies, uti ali-quando accidit, fœdis tempeſtatibus præ-ſertim ad æquatorem coortis. Porro ille qua Deo fervide ſupplicando, qua ſuaviſſi-mis verbis afflictos quosque & conſternatos erigendo, ſuam mari animisque malaciam non ſemel reddidit.

Itaque diuturna quidem navigatione, ſed alioquin ſecundiſſima, quod Correæ me-ritis palam adſcribebatur, pridie idus Au-guſti tertio nimirum poſt menſe, quo Ulyſſi-pone ſolverant, Bahiam ipſe cum ſociis ap-pellit, & exſcenſione facta cum eisdem ad Jiquitaenſe tyronum domicilium ſe contulit; ubi ex fortuito eventu, quemadmodum a virtute eſſet inſtructus, illico oſtendit. Eam domum, ut alia incommoda prætermittam, haud mediocriter infeſtant permoleſtæ for-micarum excurſiones, quæ e ſolo longe la-teque ſuffoſſo catervatim quandoque emer-gentes in ipſas etiam contignationes irre-punt; quod ubi contingit, beſtiolarum furen-ter excurrentium arma iramque impoten-tem fuga tantiſper declinare oportet, donec abigatur importuna peſtis. Has igitur furi-as toto cubiculo curſitantes, turmatimque

in ipſum quo jacebat lectum irruentes, prima ſtatim adventus ſui nocte hoſpites habuit Correa; qui novum cilicii genus ſibi gratulatus, vellicantium forſicularum punctiones incredibili patientia ſuſtinuit, totamque noctem in ea carnificina conſtantiſſime perſeveravit.

Hoc tam invictæ tolerantiæ ſpecimen, quod noctis ſilentio ac tenebris ſepultum Correa vellet, conſequens lux prodidit, cum viſus fuit formicarum totum conclave atque adeo lectulum ipſum concurſantium exercitus: unde in contubernalium animos alte deſcendit de ipſo concepta virtutis opinio, quam clariora indies confirmabant argumenta. Nam communia initia, quibus ſanctioris vitæ fundamenta ponunt tyrones, longe prætergreſſus, in ſummo jam perfectæ ſanctitatis faſtigio inſiſtere videbatur, cujus tam illuſtria imprimebat veſtigia, ut P. Thomas Lincæus tyrocinii Rector eum Angeli nomine appellare, & cæteris Novitiis tanquam abſolutæ virtutis exemplar ad imitationem proponere ſoleret. Quam vero magnum fuerit inter eos eminere, qui domum illam per id tempus incolebant, conjicere licebit ex inſigni auſterioris diſciplinæ laude, qua tyrocinium illud tunc florebat.

Habi-

Habitari nuper cœpta erat ea probationis domus, nobile quidem ac pulchrum ædificium, ſed propter cœli gravitatem valde inſalubre, & incolarum valetudini perquam incommodum. Ad hæc tenuiſſimum patrimonium, magnaque rei familiaris anguſtia; triclinium non modo abhorrebat ab omni lautitia, ſed erat quoddam rigidioris philoſophiæ ſacrarium, in quo parſimoniæ perquam religioſe litabatur. Veſtitus obſoletior, & ex craſſiori infimæ notæ panno. Mancipiorum quoque; a quibus unis in Braſilia miniſteria cuncta præſtantur; penuria laborabatur; quare tyronibus abjectiſſima quæque ſervitiorum munia domi obeunda erant: ligna dorſo comportare; cibos coquere; ſcopas; lebetes; ollas, & viliora id genus quælibet tractare. Quam ſui deſpicientiam atque omnium humanarum rerum contemptionem ſumma ipſi cum alacritate complectebantur; & ad omnem virtutem incredibili contentione incumbebant; cum enim primi ejus domus incolæ exiſterent, ſuum eſſe ducebant, inſignem aliis facem præferre, & luculenta, quæ venturi poſt ipſos perſequerentur, ſanctitatis veſtigia relinquere. Quare una erant ſingulorum ſtudia amor Dei in primis, deinde odium ſui; modeſtia ſingularis, mira in obediendo alacritas, multarum

 hora-

horarum preces, juges divinorum commentationes, collocutiones raræ, & quæ cum permittebantur, nihil mortale olerent; quotidiana cilicia, crebræ corporis verberationes, assidua sensuum animique custodia; mores denique, ut verbo dicam, qui Angelos decerent.

Tales erant in Jiquitaensi tyrocinio Correæ nostri contubernales, inter quos ipse peculiare Angeli sibi cognomentum invenit. Cum igitur Societati se per totum biennium egregie probasset, religiosis tandem votis nuncupatis Deo, eidemque Societati fidem suam obstrinxit.

## CAPUT III.

### *Studiorum curriculum.*

Exacto tyrocinio, studiorum palæstram ingressus, non, ut plerique consuevere, cum litterarum cognitione suimet ignorationem aut virtutis oblivionem hausit; ejus enim menti tam alte fuerant impressa religiosarum virtutum lineamenta, ut ea liberiori huic veluti auræ exposita nunquam deteri contigerit aut obsolescere. Eundem igitur ardorem, quo tyro incaluerat, perpetuo nutriens, religiosæ disciplinæ & rei litterariæ peræque studuit. Satis inprimis gna-

gnarus, ſcientiarum ſtudia, niſi ad Deum referantur, inania prorſus reddi, nec ullo modo frugifera eſſe poſſe, ſanctiſſimum ſtudendi finem ſibi propoſuit, Dei ſcilicet honorem; lucubrationes ſuas, lectionesque ita ſolebat a divinis auſpicari, ut ejusmodi nihil ageret ſine aliqua brevi fervidaque ad Deum precatione. Dictata cum exciperet, nullam exarabat pageliam, quam prius Dei Matri aut cuipiam Sanctorum, quos peculiariter colebat, ſingillatim non conſecraſſet.

Perpetuum otio exilium indixerat; ita enim omnes diei horas partiebatur, ac dividebat Deo, ſtudio litterarum, ſibi impendendas, ut nulla temporis particula deperiret. Siqui ex condiſcipulis eo tempore adeſſent, quo tempore ſtudendum erat, eos excipiebat verborum parcus; deinde, ut faceſſerent, feſtive monebat: ſi garrire pergerent, importunam garrulitatem interpellaturus, ex Thomæ Kempis libello, quem ad manum ſemper habebat, contenta voce lectitabat, quæ primum ſors obtulerat; nec ab incœpto ceſſabat, quoad otioſos abigeret.

Vacationum dies ſic tranſigebat, ut argumentum ſermonum pium ſemper eſſet ac religioſum, ne vacua ſcilicet, & promeriti apud Deum expers abiret ipſa animi re-

missio; huic quoque horas aliquot pie suffurari consueverat, quas in rusticano Virginis sacello, amoribus suis vacando impenderet; nam dum cæteri ludendo animos laxabant, non minor illi erat voluptas sanctissimæ Matris aram polire, & sacelli pavimentum scopis accuratissime purgare.

In familiaribus collocutionibus nihil frequentius, quam Jesu & Mariæ laudes usurpabat; idque tanti animi sensu, ut indices lætitiæ lacrymas tenere vix posset: utrique amorem suum aliquando probaturus, caso leviter pectore, proprio sanguine perpetuæ servitutis syngrapham scripsisse perhibetur, qua se Virgini Matri, ac divino Filio mancipabat. Christo singulos veneris dies, singula sabbatha jejunus Virgini consecrabat. Sanctioribus vero ipsorum pervigiliis, nisi præsides vetarent, ad panem & frigidam nihil obsonii, multum quæsitarum corporis afflictationum addebat.

Tantus erat paupertatis cultor, ut ne calamarium quidem cultellum proprium haberet; eo enim precario utebatur, quoties calamum temperare vellet. Siqua memoriæ causa erant annotanda, id factitabat in chartis rejectaneis, modo vacuis saltem marginibus quidquam scriptitare posset. Vestis vix ad talos pertingebat trita semper, centoni-

tonibus abundans, & una munditie non inelegans. Cubiculi ſupellex præter paucuias easque papyraceas Sanctorum effigies nulla. Siquando illi præmii nomine obtingerent ex re litteraria Mariæ coronæ, ſacrarum Reliquiarum thecæ, Agni cerei, ſacra numiſmata, & id genus alia; ea ſtatim cum bona præſidum ſuorum venia ſociis dividebat; nihil apud ſe retineri paſſus, ne ſcilicet alieno cujuscunque etſi piæ tangeretur affectu, qui totam mentem & voluntatem ſuam uni Deo addictam volebat ac penitus conſecratam.

Corporis ſenſus, ceu perduelles famulos, ne qua liberius audaciusque divagarentur, in acri ſemper cuſtodia & fræno continebat; fraudabat paſſim oculos aſpectu rerum etiam non profanarum, modo voluptatem intuenti afferre poſſent. Nihil erat in Braſilia ſpectabilius ſolemni ſupplicatione, qua feſtum diem ſanctarum virginum Urſulæ & ſociarum quotannis celebrabat juventus in earum tutelam & in noſtram diſciplinam tradita. Cum multa ſpectatores trahebant, tum peculiariter oculos invitabant ad ſui ſpectaculum triumphales currus; nihil enim ad opulentiam & elegantiam in his deſiderares. Inter juniores noſtros, qui ſpectatum ad feneſtras confluebant, aderat

Correa; procedente vero pompa magnifica, dum cæteri paſcebant oculos innocentibus deliciis, Correa ſuos humi defigebat, & naturalem intuendi appetitum ſtrenue domabat; atque ab adſtantium nonnemine, qui rem obſervaverat, interrogatus aliquando, cur oculos a pio ſpectaculo averteret; ſpectabimus, inquit, in cælo longe nobiliorem ſanctarum Virginum triumphum: ſine me oculos illi ſpectaculo ſervare. Non minus aurium illecebras fugiebat. Muſicos concentus, niſi quibus ſacra Templa perſonarent, audire non amabat. Quid novi garrula afferret fama, quæſivit nunquam: nam quæ publice privatimque agerentur, ſi ad ſuam curam non ſpectarent, eſſentque ab æternis ſejuncta rationibus, nulla illi cognoſcendi cupiditas, ac ne patientia quidem audiendi.

Longum foret ad virtutes omnes, quæ cum ipſo inter ſtudia litterarum adolevere, ſingillatim deſcendere. Non tamen poſſum, quin chriſtianæ charitatis, quam ille profuſe exercuit, pulchra quædam præclaraque indicia perſtringam. Theologiæ ſtudiis operam dabat in Collegio Januarienſi, cum ex Anglicanis navibus illuc appulſis multi homines quodam luis genere miſerandum in modum intabeſcentes ad terram expoſiti fuerunt.

runt. Incolumitati civium publice proviſum fuit amandatione ægrotantium advenarum in ſuburbanas caſulas ; quo exportatus eſt ingens affectorum numerus, ut ibi opportunis remediis procurarentur. Id ubi a noſtris reſcitum fuit, eorum quidam & in his præcipua capita, Correa noſter, & P. Robertus de Campos publicus Theologiæ Profeſſor natione & ipſe Anglus, laborioſam provinciam ſibi depoſcunt ; & a Collegii Rectore impetrata miſeris ſuccurrendi facultate, ad eam operam ſe accingunt lætantes, quod latum ſibi campum aperiri videbant, ubi ſua ipſorum in miſeros charitas libere poſſet excurrere.

Itaque ad publica illa ægrotantium receptacula quotidie itabant, ſecum ducentes miſerationem, ſedulitatem, omniaque officiorum genera, quibus poſſent miſeri homines recreari ; quo factum, ut ſimul atque eo pedem intulere, aura quædam ſalutaris tetris & male olentibus valetudinariis aſpirare viſa ſit : abjecto enim cuique miniſterio levandis ægrotis opportuno ſumma cum alacritate ſe dabant. Sociis vero per omnia chriſtianæ charitatis officia impigre decurrentibus præibat Correa. Selecta ille cupedia, & quidquid delicatioris cibi acquirere poſſet, ad ægrotos deferebat. Omnes ſolaba-

tur, neminem horrebat, imo ſiquis manante ſanie difflueret plus nimio fœtidus, huic pronior aderat, & graveolentiam, quam cæteri vix é longinquo ferebant, ex propinquo ipſe, tanquam emiſſum e ſuaviſſimis floribus odorem ſitienter hauriebat; prenſabat etiam æque amanter, atque parentes ſolent ſuos liberos, lectulos non levi brachio, ſed omni cum ſollicitudine ac diligentia ſternebat; nihil denique prætermittebat eorum, quæ ab ultimis ſervitiis aut conductis mercede famulis vix expectanda forent.

Tanta vero contentio laborque eo præcipue ſpectabant, ut procuratione corporum animis quoque, quoad ejus fieri poſſet, mederentur. Nec nihil in hoc genere lucrifactum eſt; nam præter operam multis, qui Catholica ſacra retinebant, ſedulo impenſam, ingerebantur paſſim de Religione diſputationes; & noſtri adeo invictis rationibus & tanta ſimul comitate atque affabilitate heterodoxorum errores confutabant, ut eorum vel obſtinatiſſimi quique, etſi ſententiam ſuam repudiare non auderent, nihilominus doctrinæ copiam, moderationem, atque humanitatem in noſtris hominibus plurimum dilaudarint. Nec defuere interim, qui officioſa partim charita-

te

te deliniti, partim convicti rationum momentis, quibus pro orthodoxa veritate nostri propugnabant, ad eam amplectendam adducti fuerint, palinodiam Calvinianorum errorum solemniter canentes, fidem Catholicam secundum Tridentinæ Synodi præscripta, magno Civitatis plausu atque gratulatione professi sunt. In quibus fuit Joannes Milet optimæ indolis juvenis, qui mortiferis dogmatis non leviter imbutus diu quidem veritati restitit; at eâ demum probe cognita, saniorem mentem induit; atque hæresi rite ejurata, Societati nostræ nomen dedit, Joannes Vieyra deinceps cognominatus; nec vulgari virtutis laude inter nos vixit annos duos supra decem: atque ipsa ejus mors nobis exemplo fuit; cum enim Sacerdotio jam initiatus sacram expeditionem ad barbaros Indos suscepisset, eorum salutis causa pulchram mortem oppetiit ad ostium *Fluminis Dulcis* in profluente submersus.

At nos ad Corream revertamur intentum in omnem occasionem animas Deo lucrandi vel dum ad litterarum studia incumberet. Vitabat ille quidem externorum consuetudinem, quos ad meliorem frugem traducendi spes non esset; paucos tamen spectatæ vitæ scholasticos in familiaria col-

col-

loquia ſolebat admittere, quibus ad percurrendum virtutis iter calcar adderet. Nonnullis, ut mortalia omnia prorſus abdicarent, author fuit; quosdam etiam ad Societatem perduxit. Non minus in promovenda ſociorum religioſæ vitæ perfectione domi allaborabat. A ſumpto cibo, quando ſcilicet mutuæ collocutionis facultas nobis datur, de rebus ad pietatem ſpectantibus ſermones injiciebat, quæ nimirum ratio ad domandas pravas naturæ propenſiones, cupiditatesque frangendas optima videretur; quænam via ad acquirendas virtutes expeditiſſima. Et pia quidem id genus colloquia nutriebat appoſitis in rem ſententiis, & exquiſita eruditione, qua erat ad ejusmodi congreſſus ac diſſertationes inſtructiſſimus.

Interim cum is eſſet Correa, ut poſſent omnes virtutem ex eo diſcere, ipſe ab aliis religioſe vivendi documenta capere diligentiſſime ſtudebat. More apis induſtriæ, ſelectiſſimos quosque flores per viridaria delibantis, virtutum quidquid in ſociis obſervaſſet, avide colligebat, & incitamento ſibi ad imitationem futurum in parvo codice notabat; ajebatque noſtrorum hominum obſervatum a ſe fuiſſe neminem, a quo virtutum exempla non hauſiſſet. Princeps

ceps vero exemplar studiorum spatia decurrenti ob oculos obversabatur sanctissimus scholasticorum Gonzaga, quocum religiosæ perfectionis summam observandis instituti nostri legibus definiens, a severissima illarum custodia ne transversum quidem unguem discedere statuit; id quod constanti adeo fide præstitit, ut fateantur ex ejus condiscipulis & contubernalibus nonnulli occulta se curiositate in Correæ mores & acta singula diu inquisisse, certiores fieri cupientes, numquid in eo lateret censura dignum, vel quod saltem ab ea, quam præseferebat externa compositione dissentiret: atque ipsi palam testantur, nunquam sibi deprehendere licuisse, quidquam ab eo neglectum earum rerum, quas leges nostræ præscribunt, aut quidquam earum, (etiamsi levissimæ essent,) quas ipsæ vetant, ab eo commissum.

Singulis mensibus diem unum seponebat, quem sanctissimi Parentis Ignatii commentationibus totum impenderet; id enim acceperat factitatum ab integerrimo juvene Joanne Bergmans, quem in studiorum curriculo secundum sanctum Aloysium exemplar sibi proposuerat. Cum ad percurrendum Marianam Coronam, aliasve preces sibi erat incumbendum, ut lubricam mentem

in

in officio contineret, locum & tempus ab omni concursu & strepitu vacuum seligebat, nequid extraneum sensus haurirent, quod alio cogitationem avocaret. At ipsa quam accuratissime precandi sedulitate in conscientiæ scrupulos declinante, adeo se ipse defatigabat in absolvenda brevi precatione, quam satisfactionis nomine confitenti sacerdos imponebat; ut opus esset unum aliquem e sociis in absolutæ recitationis testem adhibere. Et nihilominus iterata pronuntiatione horam & paulo amplius consumebat in Oratione Dominica, & Angelica Salutatione ter percurrenda, magno quidem sui & illius quem in testem vocabat incommodo. Cujus rei certior factus sacerdos, qui erat illi a confessionibus, certum eidem spatium definivit; ultra quod recitando progredi non liceret; atque huic ille jussui obtemperans, infelicem illam sui calumniandi miseriam, & scrupulorum crucem, qua incredibilem in modum torquebatur, feliciter evasit.

Primo cujusque mensis ineuntis die in sese descendebat, & veluti accepti expensique tabulas accurate relegens, quoscumque deprehendisset superiore mense contractos animi nævos, etsi confessionibus divinum epulum; quo se frequens reficiebat; præ-

præeuntibus jam deletos, iterum ſacerdotali ſententiæ generaliter ſubjiciebat: quare totius anteactæ vitæ conſcientiam ſic habuit ante oculos, ut rationes omnes plene ſubducturum ſe diceret, modo ad inquirendum in ſe ipſum dimidium horæ quadrantem haberet. Beata vincula, quibus ſe divino Numini obſtrinxerat, ne qua deteri poſſent, ſæpe numero recognoſcebat; nam præter communem votorum inſtaurationem ſtatis temporibus in Societate obiri conſuetam, dictum Chriſto Sacramentum quinquies quotidie inſtaurabat. Hoc ille ardore ſanctimoniæ ſtudebat, vel cum litteris operam dabat. Jam vero licet tanto religioſæ perfectionis ſtudio teneretur, nihil interim remittebat de litterarum cura. Et quidem quantum in litteris profecerit diſcipulus, earundem poſtea publicus Profeſſor luculenter oſtendit.

## Caput IV.

*Grammaticam, & humaniores litteras docet magno cum diſcipulorum emolumento.*

Priuſquam ſeveriorum diſciplinarum ſpatia decurreret, duo geſſit humanitatis magiſteria, alterum in Sanctorum Oppido, alte-

alterum in Urbe S. Pauli magna utrobique nominis celebritate. Nec modo apud vulgus, verum etiam apud primores insignem virtutis commendationem adeptus est. In Oppido Sanctorum juventutem instituebat, cum P. Michael a Costa Collegium, quod eo in oppido habet Societas, cum Visitatoris, ut vocant, potestate lustravit atque inspexit; quem officiosæ salutationis causa conveniens Joannes dos Santos, vir perillustris, atque ejus Oppidi facile primus, qui rei militari tunc præerat, sub prima statim mutuæ salutationis officia ex illo quærit, num in animo habeat, Corream ab eo Collegio alio abducere? et, cum responsum esset, Corream philosophiæ cognoscendæ causa ad urbem S. Sebastiani profecturum esse; bene, inquit, habet: at ego vereor, ne Oppidani pro eo retinendo ad seditionem concitentur: nihil enim molestius accidere illis potest, quam optimi liberûm suorum præceptoris discessus. Atque inde in Correæ laudes supra modum effusus, haud finem faciebat Societati gratulandi, quod filios haberet tam præstanti virtute præditos.

Nec immerito tribuebantur ejusmodi laudes egregio Magistro, qui, ut erat omnibus notum, pro traditæ sibi juventutis

cum

cum in litteris, tum in virtutibus progreſſu, mirum in modum ſollicitus, nihil eorum, quæ eo maxime conducerent, intentatum relinquebat. Severe penſa omnia ab unoquoque exigebat. Poeticarum in quodlibet argumentum exercitationum, quas juſſiſſet a diſcipulis elucubrari, exempla ipſe pangebat, quæſitis elegantiis, (ut erat felicis venæ) compta, ut ea tyrones imitarentur. Quotidie Sacro ut adeſſent ea religione, quæ ſcholarum noſtrarum alumnos decet, conſtanter advigilabat. Diligenter curabat, ut ſinguli afferrent ad ſe teſtes expiationis menſtruæ ſchedulas appoſita fide Sacerdotum, qui eorum confeſſiones excepiſſent.

Quidquid peccatum erat, leniter corrigebat; in levioribus etiam connivebat ad tempus; atquæ hæc ejus prudentia mire valuit ad frangendam aliquorum præferocem indolem. Siquid vero gravius commiſſum eſſet, convictos ejus culpæ reos novo quodam animadverſionis genere afficere ſolebat: nam vultu ad ſeveritatem compoſito, eos nec alloquio nec aſpectu quidem ſuo in dies aliquot dignabatur; quod ſupplicii genus ab omnibus adeo grave cenſebatur, ut nihil poſſet ſupra. Nec fuit ullus tam obtuſi ſenſus, qui ſuaviſſimi præ-

ceptoris vultum ad ſpeciem iratum diu ſuſtinere poſſet; quamobrem quotquot hujusmodi pœna multarentur, eam per omnes ſuperos a ſe deprecabantur; ac meliora omnia impoſterum pollicentes, ut ſibi cum charo magiſtro actutum in gratiam redire liceret, ſerio reſipiſcere videbantur.

Sexto quoque hebdomadis die per ſemihoram & eo amplius, ad ſcholaſticos ſuos concionem habebat, mirifico pietatis ſenſu redundantem; & quidem avide, nec ſine fructu excipiebantur auditorum animis quæcumque diceret concionator juvenis, cui erat pro venerabili ſenectute raligioſarum maturitas virtutum, & morum canities. Inſtitutam Kalendis cujusque menſis Sanctorum ſortitionem accurate promovebat; monebat inſuper, quibus potiſſimum officiis, quem ſibi quisque ſortito acciperet, Sancti patrocinium promereri poſſet.

Nulla vero illi prior ac potior cura fuit, quam ut teneris diſcipulorum animis ſingularem erga Deiparam amorem inſtillaret. Teneriores ille pueros, ut vehementius inflammaret, divinæ Matris Benjaminos, grandiores vero natu adoleſcentes tantæ Reginæ honorarios ephœbos ſolebat appellare. Nec verbo modo, ſed maxime exemplo cultum Virginis diſcipulos edocebat. Quoties per-

cur-

currenda erat Deiparæ pſalmodia, medius ipſe aderat inter Marianos ſodales, & voce, quam habebat ſuaviſſimam, demulcens audientium aures, animos ad ſanctiſſimæ Matris amorem alliciebat. Tantus denique adoleſcentibus injectus eſt ardor pietatis ex optimi præceptoris conſiliis & exemplis, ut non modo omnes vitam chriſtiane inſtituerint, verum etiam non pauci de remittendo mortalibus rebus nuntio exinde cogitaverint, nec multo poſt in Religioſas familias cooptati ſint.

## Caput V.

*Sacris initiatur. Præclara ejus geſta in Bahienſi tyrocinio, & in Januarienſi Collegio. Ardens deſiderium Miſſionis Orientalis.*

Sacerdotio initiatus, exquiſitiſſima præparatione præmiſſa rem divinam primum fecit ad aram Virginis ab Angelo ſalutatæ in Bahienſi tyrocinio. Haud multo poſt, decurſo jam Theologiæ ſtadio, ad eamdem probationis domum rediit, annum tertium in renovanda animi cultura de more poſiturus. Inſtituto enim ſanctiſſimo conſuevit Societas, poſt emenſa ſtudiorum ſpatia, quaſi receptui canens, filios ſuos ad tyro-

cinium revocare, ut ibi, ſepoſita omni litterarum cura, annum ſolidum impendant inſtaurando rerum divinarum ſapori, quem plerumque obtundit humanæ ſapientiæ contentio. Correa igitur, etſi ſtudiorum contentione nihil in eo pietatis ardor refrixiſſet, incredibili tamen alacritate, quaſi tunc primum religioſæ vitæ rudimenta capeſſeret, omnis virtutis exercitationibus totum ſe dedidit. Mentem in primis ab omni rerum infimarum ſollicitudine prorſus expeditam ad una cæleſtia contemplanda traduxit. Præterea ſui affligendi cura, & deſpicatiſſima quæque domeſticorum munerum officia obeundi ſtudio eminebat inter tyrones; quibus acres adeo ad religioſam perfectionem ſtimulos injiciebat, ut non ſemel teſtatus ſit P. Joſephus de Mendoça Novitiorum Rector, ad eos informandos plus Patris Correæ virtutem exemplaque, quam præcepta ſua & induſtriam valuiſſe.

Exacto tertiæ quam vocant probationis anno juſſus eſt in Collegio Januarienſi noſtris junioribus philoſophis pro privatis diſputationibus præeſſe. Quo in munere egregiam operam navavit, magnopere intentus in fructum atque utilitatem juventutis, quam non minus ad religioſæ perfectionis ſtudium, quam ad philoſophiæ cognitionem per-

perducere nitebatur. Excipiebat ſumma facilitate ventitantes ad ſe, cum nodos, quibus implicabantur, ſolutionis cauſa deferrent; atque in his explicandis incredibili patientia tamdiu immorabatur, quoad tyrones difficultatis ſenſum perfecte caperent. Datum relaxando poſt ſumptum cibum animo tempus cum junioribus plerumque tranſigebat magno eorum emolumento neque enim quidquam in ſermone, quod ad rem philoſophicam, vel ad pietatem non ſpectaret, injici patiebatur. Ut ſcribendi moleſtia levaret eos, qui morbo aliquandiu impediti dictata non excipiebant, in eorumdem codicibus, quæcumque deſiderarentur, ſua ipſe manu exarabat. Et ſui deprimendi cauſa & alios juvandi ſtudio, ſcholarum horis, cum juniores noſtri in publico gymnaſio verſabantur, in abſentium cubicula ſeſe abdere ſolebat; tum pavimenta ſcopis mundabat, & elegantius componebat, quæcumque minus compte diſpoſita reperiſſet. Juniores igitur à ſchola redeuntes, cum ea mirarentur beneficia, manum vero beneficam ignorarent; Corream, in quem unum cadebat ſuſpicio, diligenter obſervare decreverunt, atque hic tandem deprehenſus fuit, cum ejuſmodi præſtaret occultæ charitatis officia; & obſervatoribus ſuis admiratione obſtupefactis, ego, inquit, iſthæc

factitabam animi remittendi gratia; vobis autem licebit, quidquid temporis iis accurandis insumendum erat, litterarum studio impendere.

Hoc igitur munere, quod per triennium sustinuit, summa cum laude perfunctus Bahiam proficiscitur eo ipso tempore, quo tempore illuc appulerat P. Archangelus Dorygnisius, Romam inde trajecturus, e Goana Provincia delectus Procurator. Quo interim ad copiosam illarum regionum messem operarios Bahiæ colligente, denuo excitari cœpit in Correæ animo desiderium Missionis Indicæ; Xaverianis enim vestigiis pro peculiari cultu, quo Patronum suum Orientis Apostolum prosequebatur, insistere vehementer optabat, & certum ei erat, Evangelii propagandi causa ad Sinas usque, si potestas fieret, & ad ipsos quoque mortalium remotissimos Japones penetrare, ut magnas per Apostolicos sudores ad Christi gregem accessiones faceret. *Vide ad calcem Animadversionem I.*

Quare ut novo Christi militum manipulo ad orientalem expeditionem profecturo adjungeretur, omnibus precibus contendit apud Goanum Procuratorem; qui postquam hominis virtutem perspexit, nihil Orienti charius facturum se existimans, quam si

ere-

egregium, ut ipſe dictitabat, Xaveriani pro Orientalium ſalute ardoris hæredem illuc inveheret, rem apud P. Simonem Marques tunc Provinciæ Braſilicæ Moderatorem omni ope urgere aggreſſus eſt. Negotio haud mediocriter obſtabant ipſæ Correæ dotes, quippe Provincia Braſilica; quæ ipſum a teneris informaverat, tanto ornamento privari ſe ægerrime latura videbatur. Et reipſa Provinciæ Præpoſitus nullis precibus adduci potuit, ut poſtulatis annueret. Inſtitit nihilominus Dorygniſius, atque id tantum ab eo extorquere potuit, ut res Patrum, qui a deliberationibus ipſi erant, judicio ſubjiceretur.

Correa interim animo geſtiens, cum ſibi proponeret periculoſa itinera, triſtes ſolitudines, atrocia barbarorum ingenia, & id genus multa, quibuscum ſibi eſſet confligandum, non ceſſabat ſuperos omnes precari, ut votis ſuis faverent, & conſultores ambire, ut ſuffragiis cauſam juvarent. Illi tamen ſententiam rogati, alia omnia cenſuere; imo ipſorum obteſtationibus incuſſa eſt præpoſito Provinciali religio, ne tantum vulnus Provinciæ infligi pateretur: quare ſanctis Correæ deſideriis mos geſtus non fuit. At ille animum non deſpondit. Epiſtolam ad P. Franciſcum Retz ſupremum ordinis

Præſidem ſcripſit, qua Indicam expeditionem enixe ſibi poſtulabat. Inde pergens ad aram Indiarum Apoſtolo dicatam, complicatam epiſtolam in Xaverii manu depoſuit, eam ipſius patrocinio multa prece commendans, ut optatum exitum Romæ haberet. Prima luce diei conſequentis ad eam ipſam aram pro felici rei eventu Sacrum fecit, atque ipſo rei divinæ tempore intimam vocem audire ſibi viſus eſt, qua jubebatur poſtulatis inſtare, fore ut ea ſucceſſum haberent.

Peracto igitur ſacrificio, actisque Deo & Patrono ſuo Xaverio gratiis, Romam litteras mittit, in ſpem magnam adductus, ſe id, quod maxime optabat, ab univerſæ Societatis Præſide impetraturum. Nec ſua eum opinio fefellit: poſtulatis enim benigne annuit P. Retz. Interceſſerunt nihilominus, reclamaruntque Braſiliæ Præſides, & Præpoſitum Generalem, quid hominis eſſet Correa, quantam ex illius diſceſſu jacturam Braſilia ſubitura eſſet, per litteras docuerunt; quo factum, ut revocata facultate, ſancti hominis conatibus via omnis præcluſa ſit. Itaque tametſi in Indiam proficiſcendi, quoad vita fuit, ſpem non amiſit, pari tamen alacritate, ut erat Præſidibus ſuis dicto audiens, Olindam Moderatorum

juſſu

juſſu profectus eſt, ut ibi Philoſophiam traderet.

## CAPUT VI.

*Philoſophiam Olindæ, Theologiam Bahiæ ſingulari virtutis, & ingenii laude profitetur.*

Olindam ubi pervenit, Philoſophiam docendi munus ita eſt auſpicatus, ut magnam ſtatim virtutis ac doctrinæ famam ſibi comparaverit. Et reipſa ad utramque factus videbatur. Felix ingenium, hauriendisque rerum cognitionibus natum aptumque, conſtanti juvabat ſtudio; cæteris etiam dotibus, quæ perfectum abſolutumque profeſſorem conſtituunt, ad eum formandum affluentibus. Erat ille in ſolvendis argumentorum nodis æque promptus, atque perſpicuus, in differendo pariter ſubtilis, atque nervoſus, nullique imitabilem præſeferebat alacritatem ſingulari modeſtia caſtigatam. Quoties intererat publicis diſputationibus omnium ad ſe oculos convertebat, ipſe ſuis ſic in humum dejectis, ut ab eo, qui proxime aſſidebat, monendus eſſet, cum illi fiebat argumentandi copia. Tum vero argumentum proponebat, urgebatque contentione tanta, ut ſpectatores

Corream in Correa ipſo quærentes, in dubio hærerent, quid potius mirari deberent, concertantisne ardorem, an reſponſionem exſpectantis ſerenitatem.

Auditores ſuos ita philoſophicis præceptis inſtituit, ut ii non pœnitendos in ea facultate progreſſus fecerint. Virtutum vero chriſtianarum documentis ſic excoluit, ut inter religioſæ alicujus familiæ tyrones mereri potius viderentur, quam inter profanos vivere; atque ita omnino prædicabant, qui eorum mores boni præceptoris opera tam ſcite dedolatos ac perpolitos obſervabant. Hæc illæ prima & palmaria doctrinæ ſuæ alumnis capita præſtituebat: ut implacabiles cum vitiis inimicitias gererent, virtutis amore animum a pravis affectibus purgarent; magiſtram ac ducem vitæ rationem ſequerentur; ad ſapientiæ penetralia facillime pervaſuros, qui recte viverent: profanum vulgus, quod inertia, voluptatibusque diffflueret, ab his adytis quam longiſſime arcendum.

Quibus præceptis, ſed multo magis exemplis, quæ in integerrimum præceptorem, tamquam in vitæ innocentiſſimæ ſpeculum, quotidie intuentes hauriebant, imbuti adoleſcentes eam ſapientiæ, & probitatis commendationem ſunt conſecuti, ut in publica

dein-

deinde ecclesiasticorum munerum petitione, cæteris competitoribus antelati sint, honesta & opima nacti sacerdotia; utpote qui doctrinæ meritis, quibus accedebat morum probitas, alios omnes longe antecedebant. Sub tanti quidem magistri disciplina meruisse, summum erat unicuique suffragium ad quælibet impetranda. Cum fieret tumultuarius militum delectus, temere conscripti fuerant quidam ex Correæ auditoribus. Pro obtinenda his missione diu laboratum fuit apud Urbis Præfectum; frustrà id vero. At ubi Correæ auditores esse constitit, eos Præfectus, qui Primorum Civitatis precibus inexorabilem se præstiterat, actutum exauctoravit, ac missos fecit. Jamvero ad Episcopum Olindensem nullum firmius & gravius de vita, moribus, ac doctrina testimonium afferre poterant, qui sacris initiari cuperent, quam si præceptoris sancti (sic enim Corream Episcopus appellabat) se discipulos fuisse ostenderent.

Nec tantum in scholæ suæ alumnos virtutum suarum exemplum ad imitationem diffudit, ac derivavit; multos præterea, qui se illi regendos tradiderunt, in mores suos sic ipse formavit, ut in unoquoque ductorem Corream facile agnosceres. In horum nume-

numero ponendus eſt nobilis quidam Centurio, quem eo Chriſtianæ perfectionis Correa perduxit, ut militarem hominem (quod mirum eſt) tanquam abſolutiſſimum virtutis omnis exemplar civitas univerſa ſuſpiceret, & religioſi etiam viri ad imitationem ſibi proponerent.

Præter quotidiani muneris ſui partes, quibus perdiligenter & cumulatiſſime ſatisfaciebat, incredibile dictu eſt, quam maximis in publicum civium bonum domi foriſque intentus eſſet curis, quas vel Moderatorum imperia, vel ipſa hominis de cunctis bene merendi voluntas extra numerum atque ordinem adjiciebant. A ſacro Confeſſionum tribunali, dum eſſent qui animos vellent expiare, non recedebat. Quisquis ad ſupremum vitæ actum peragendum venerat, nihil diligentius curabat, quam ut Corream ad ſe accerſeret. Perſuaſum enim habebant omnes, ſibi fauſte, feliciter, proſpereque deceſſum iri, ſi eo auxiliatore, & extremos morientis anhelitus piis ad Deum affectibus præeunte, vita decederent. Quotquot erant ſacris initiandi, ut dignam ſacerdotibus vitam ducerent, cœleſtibus ſancti Ignatii commentationibus, Epiſcopi juſſu, excolebat.

Haud

Haud raro componebat privatorum lites; cum enim ex doctrinæ celebritate omnibus esset pro oraculo, plerique, quos nimirum tædebat in jus adire non sine temporis ac pecuniæ impensis, causas ancipites ad ipsum deferebant; id ex æquo bono inter se pacti, ut pro quo ille pronunciasset, is demum vicisse censeretur. Quæ quidem consultationes, quandoque usque ad satietatem fastidiumque productæ, non paucas horas homini, unius temporis avaro, consumebant: ille nihilominus patienter, ac sine ulla interpellatione consulentibus aures dabat. Miserorum patrocinia libenter suscipiebat, & feliciter eorum causas pro ea, qua pollebat apud Magistratus gratia, tuebatur.

Viris quoque primariis, & publicam rem administrantibus multam operam, & utilem navabat. Ejus & virtutem, & doctrinam permagni fecit D. Aloysius a S. Theresia Olindensis Episcopus, eumque in rebus momenti non raro consulebat Vir sapientissimus. Olindensis item Ecclesiæ Decanus Doctor Antonius Pereyra, vir acerrimi judicii, & insigniter litteratus, eo conscientiæ ductore, & ad munus suum bene gerendum consiliario utebatur. Atque hic quanti fecerit hominis consilia, ex eo, quod sub-

ſubjungo, conjici poteſt. Epiſcopus Ulyſſiponem avocabatur. Pereyræ igitur, cujus prudentiam ſatis habebat ſpectatam, Diœceſeos interim adminiſtrandæ provinciam tradere conſtituerat: diu ille vero & obſtinatiſſime recuſavit; magis autem ac magis urgentibus Epiſcopo & urbis Præfecto, ægre tandem adductus eſt, ut onus ſuſciperet, ea tamen conditione, ut ipſi, qui urgebant, ſancte pollicerentur, daturos ſe operam, ut P. Correa, qui tunc Bahiam reverti jubebatur, toto gerendæ adminiſtrationis tempore Olindæ detineretur. Spoponderunt illi, & a Societatis Præſidibus impetrarunt. Commiſſum vero ſibi munus cum magna omnium approbatione geſſiſſet Vir prudentiſſimus, id unis Correæ precibus conſiliisque tribuebat.

Haud multo poſt Olindam pervenit D. Franciſcus Aragna in Epiſcopi abſentis locum ſuffectus adjutor, & futurus ejusdem ſucceſſor renuntiatus. Pereyra igitur magiſtratum deponente, Bahiam ſe recipiendi libera poteſtas Correæ futura credebatur: contra vero accidit; immo novæ illi compedes ſunt injectæ. Quippe uſu ipſo edoctus Pereyra, quantum ſibi præſidii ad rectam concrediti ſibi muneris adminiſtrationem hominis virtus ac ſapientia contuliſſet,

au-

author fuit Præſuli Aragna, ut Corream & ipſe retineret, ejus nimirum conſiliis in gubernanda Diœceſi, cujus clavum recens tractabat, haud mediocriter juvandus. Quare in gratiam Antiſtitis id enixe poſtulantis proroganda Correæ fuit in annum alterum Olindenſis commoratio.

Annus hic, quantum vix antea ullus, illi fuit laborum ferax. Eum enim Epiſcopus ſibi a ſacris confeſſionibus eſſe voluit, nec quidquam privatim aut publice agendum ſuſcipiebat, ſuper quo accerſitum ad ſe conſcientiæ ſuæ Moderatorem non audiret, ſine cunctatione amplexus, quæcumque ille ſuggereret monita; quæ ſanctiſſima ſemper, & prudentiſſima fuiſſe rerum exitus confirmarunt: quare illum Antiſtes eo loco numeroque habuit, ut unius judicio, quamvis a contraria ſententia reliqui ſtarent, mordicus adhæreſceret; amabatque hominis integerrimi libertatem, qua, quid ſentiret, contempta non ſemel conſulentis inclinatione, proferebat; etenim ab omni aulica ratione abhorrentem, æqui unice amantem tenaciſſimumque nulli hominum reſpectus dimoverunt a tramite, cui fas, & jus, & ratio inſiſtere juſſiſſent. Quoties vero ad Epiſcopales ædes conſulendus advocabatur, Theologi partibus ad

An-

Antiftitem perfunctus, in ipfo digreffu coactam in femotum locum familiam obiter concionabundus ad pietatem informabat; domefticis vero mancipiis elementa chriftianæ fidei tradebat. Quamobrem Epifcopus, qui occultus aliquando fpectator hominem obfervaverat, eum verum ac germanum Apoftolum appellare confuevit.

Ad hæc totos fex annos, quibus Olindæ fuit, chriftianæ Religionis elementa publice explicuit. Singulis diebus Dominicis cum magno puerorum agmine ad urbis fora procedebat; atque Æthiopes, infelicem illam hominum nationem, fervituti natam, & quidquid erat infimæ plebis, ad ejusmodi inftitutiones convocabat. Cæterum non plebs fola, fed honefti etiam viri complures ad eum audiendum confluebant; fructuque adeo luculento res agebatur, ut eo permotus nobilis quidam Parochus & copiofus, pollicitus fit annuam centum aureorum penfionem tandiu folvendam Olindenfi Collegio, quandiu in eo degeret P. Correa, ea tantum conditione, ut is chriftianæ difciplinæ elementorum inftitutionibus plebem erudiret. Tanta profecto erat egregii Doctoris perfpicuitas in explicandis myfteriis cognitu neceffariis, tantus in inter-

terrogando lepor, ut ipſi quoque inter pueros aſtantes viri reſpondere non erubeſcerent; gauderent etiam ſupra modum, ac pene beatos ſe ferrent, ſi ab eo icuncula donati domum recederent. Quin etiam aliorum Ordinum Religioſi homines, cum adibat ipſorum ædes, illum circumſtabant, Marianas ab eo coronas, & ſacra metalla efflagitantes. Cum vero ille (ut erat religioſe feſtivus) commiſſurum ſe negaret, ut quæ pueris Chriſtianæ doctrinæ ad interrogationes ſcite reſpondentibus debebantur præmia, aliis diſtribueret, religioſi viri accepturi & ipſi puerilem mercedem, nonnulla fidei chriſtianæ capita certatim recitabant. Tunc multa urbanitate, jucundiſque ſalibus dilaudans recitantium peritiam ſacras icunculas & numiſmata ſingulis dividebat; quæ illi, quia de tanti viri manu recepiſſent, in theſauri loco habebant.

Impenſam vero ſibi ab hoc hominum genere benevolentiam, atque venerationem Correa in duplum rependebat. Quibus enim obſequiis religioſas familias demereri ſtuderet, ſequens eventus argumento eſſe poteſt. Edixerat Epiſcopus, ne religioſi cujusvis Ordinis homines, noſtris exceptis, vel ſacris initiari, vel ad confeſſionum excipiendarum munus provehi poſſent, niſi

D ante

ante de neceſſaria ſcientia periclitandi ſe ſiſterent. Rem illi ad ea uſque tempora minus uſitatam ægerrime ferebant. Primi in eam periclitationem deſcenſuri erant nonnulli ex quadam illuſtri familia religioſa. Ex Collegio noſtro acciri juſſerat Epiſcopus, qui eos periclitarentur. Id enim vero, quod non parum invidiæ nobis conflaturum videbatur, Collegii Rectorem vehementer angebat. Quare hic ut res cæteroqui ſpinoſa fauſtum aliquem felicemque exitum habere poſſet, Patri Correæ, cujus ſpectatæ prudentiæ magnopere confidebat, provinciam imponit perdifficilem. Adfuit ille ad conſtitutum diem; & felicius, quam ſperari poterat, rem abſolvit. Homines enim (qua erat ſuavitate) humaniſſime compellans: veſtrum, inquit, unumquemque præmonitum velim, ut ſiquid ego vos hodierno die interrogavero, id a me potius diſcipuli nomine, quam experiundi vos atque periclitandi cauſa factum iri intelligatis. Deinde quemque ordine modeſtiſſime rogavit, ut ſe mortalium videlicet omnium maxime illitteratum docere non gravarentur, exempli gratia, quid ſit Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium; quæ materia, quænam forma hujus vel illius ſacri Ordinis, & alia hujuſmodi ſic ex illis ſciſcita-

citatus eſt, quaſi ab ipſis erudiri, quam eorum ſcientiam periclitari mallet; ſingulas vero eorumdem reſponſiones, ceu todidem ſibi data documenta, multis laudibus magnaque gratiarum actione remunerabatur.

Ingenioſa hominis prudentia incredibili plauſu fuit excepta. Et ea quidem humanitatis ſignificatione cætum illum religioſum ſic devinxit, ut Præpoſitus Provincialis ejus familiæ pro honore ſuis habito totius ordinis nomine apud Rectorem Olindenſis Collegii gratias egerit ampliſſimas; & familiæ tanto beneficio obſtrictæ perpetuam obſervantiam erga noſtram Societatem ſpoponderit.

Inter hæc; & alia præclare geſta fluebat annus, quem diximus in Epiſcopi gratiam Correæ fuiſſe prorogatum; quo tandem exacto; à Provinciæ Præſide in mandatis habuit; ut abeundi copiam ipſe peteret; ſeque Bahienſibus ſcholis deſignatum Theologiæ Profeſſorem quam primum expediret vinculis, quæ bonus Præſul injecerat. His ille juſſis quam alacriter obtemperans, diſcedendi poteſtatem extorſit ab Epiſcopo ægre admodum annuente. Ubi vero rumor percrebuit, Corream eſſe abiturum; tantus fuit univerſe Civium dolor; ut pene

conjurationem inierint ad eum retinendum. At Episcopi mærorem ac desiderium in suavissimi Capitis discessu nihil æque declaravit, atque litteræ ab ipso ad Bahiensem Archiepiscopum datæ; verbis enim quam potuit amplissimis hominis dotes commendans, & suam ipse dolens vicem, quod tanto viro sibi carendum esset, Archiepiscopo gratulabatur, quod Jesuitam egregiis virtutibus ornatum apud se esset habiturus, cujus & suavissima consuetudine frui, & saluberrimis consiliis, ubi opus esset, adjuvari posset. *Vide Animadversionem II.*

Itaque ingens sui desiderium, & æternum virtutum suarum monumentum apud Olindensium animos relinquens, Bahiam Correa proficiscitur, ubi ampliorem ad navandam operam suam nactus est segetem homo laboris appetens. Nam præter quotidianum Theologicæ prælectionis pensum, & curas alias domesticas, cum ob egregias dotes, quæ se statim prodebant, brevi omnibus innotuisset, magnus ad eum cæptus est fieri concursus quotidie ventitantium, partim ut de conscientiæ quæstionibus eum consulerent, partim ut sacris confessionibus apud ipsum peccata deponerent, quibus ille audiendis non modo per diem aures dabat, verum etiam concubia nocte, si quis ope-

ram

ram Sacerdotis exposceret, (quod sæpissime fiebat) nunquam præsto non fuit. Nam simulatque tintinabulum ad Collegii limen appensum pulsari audiebat, e lectulo surgebat, janitorique veluti casu obvium se dabat, suadebatque, ut Rectori significaret se experrectum esse atque paratum, ne aliorum quies interpellaretur. Præterea suos quisque animi angores ac mentis ægritudines illi tanquam peritissimo Medico aperiebant; tanta enim dexteritate pollebat ad sedandas animorum turbas, ut ad se confugientibus, quidquid curarum afferrent, facillime adimeret, ac molestiam omnem penitus abstergeret.

Quam invictum a labore se præstiterit, ex eo conjicere licet, quod nemo, nisi eo duce vivere, nemo nisi auxiliatore mori vellet. Summi præsertim viri, si periculosum in morbum incidissent, Corream ad se acciri studiosissime diligentissimeque curabant. Graviter ægrotavit vir quidam summo loco natus, apud Bahiensem Proregem hospitio exceptus, qui cum ingravescente in dies morbo ad extremum vitæ discrimen adductus esset, enixe postulavit, ut P. Corream accerserent. Earum ædium ingressu pene jam nobis erat interdictum; quod cum ægrotanti significatum esset, hic libe-

re respondit, posthabendas aulicas rationes, cum salutis æternæ res ageretur: quare tanto se hospitio excedere, atque alio se exportari malle, quam tali auxiliatore ad extremam horam carere.

Jam vero quam de ipso expectationem excitaverant litteræ ab Olindensi Præsule ad Bahiensem scriptæ, non explevit modo, verum etiam longe Correa superavit. Ubi primum colloquii se dedit occasio, sic Antistitis voluntatem affecit, ut hic auditus postea sit, cum diceret, se uno primo aspectu in ipso hominis vultu virtutem illico perspexisse & amasse. Illo igitur familiarissime uti cœpit Archiepiscopus; eum frequenter ad se vocabat consilii causa, præsertim siquid anceps incideret; & quod in plurium conscientiam venire non oporteret, unius arbitratui sententiæque definiendum subjiciebat; & eidem quamplurima committere solebat ad Dei honorem, & animorum salutem spectantia; quæ omnia, quamvis difficilia, nunquam ipse ad optatum finem non perduxit.

Etsi vero tam variis esset curis distractus, ea tamen in primis ejus animum occupabat, nimirum ut floresceret hortus Deiparæ, Mariana, inquam, juventutis scholarum

larum nostrarum Sodalitas, cui ipse erat Præfectus. Privatis exhortationibus, quas ipsa cohortantis vita omni eloquentia firmior atque potentior mirum in modum roborabat, sodales ad omnem pietatem fingere atque informare nitebatur; nec pœnitendus impensæ operæ fructus respondebat. Ad nobile autem animorum ædificium ita primas curas adhibuerat, ut secundas etiam conferret ad instaurandum Sodalitatis Sacellum, quod inconcinnum & vetustate deformatum pecunia in sumptus necessaria sponte ab amicis collata reficiendum, pereleganterque ornandum curavit.

Interim non minus egregia domi gesta. Domesticis omnibus exemplo vitæ proderat, maxime vero juventuti, cujus tractandæ mira fuit illi dexteritas; amabant enim juniores hominis virtutem non morosam neque tristem. His ille a mensa mutuo colloquentibus solebat se adjungere, & involuta jucundis salibus, quibus familiarem sermonem condiebat, salutaria sensa instillabat auribus animisque libenter audientium; & quasi aliud agens, eos sensim ad pietatem erudiebat. Divinum illud Sapientis effatum: *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, frequens ingerebat; atque inde captabat

 anſam

ansam illos monendi, ut in viridi juventà religiosarum virtutum perfectioni serio studerent; nec eas curas in senectutem procrastinando rejicerent: pravas animi propensiones, siquæ erumperent, in herba elidi oportere: eas difficillime avulsum iri, si altius radices figant, & progressu temporis convalescant. In hunc modum juniores nostros ad virtutis amorem studebat ille id temporis inflammare, quasi jam tum impendentem provideret arietem, quo paulo post tentanda erat eorum constantia. Jam enim præmissa quædam quasi fulgura, & longinqua murmurantis famæ tonitrua prænuntiabant, quid tempestatis nobis impenderet.

## CAPUT VII.

*Custodiis asservatur una cum aliis Sociis primo in Collegio Bahiensi, deinde in Jiquitaensi Probationis domo. Quomodo utrobique se gesserit.*

Interea fulmen, quod jam diu in Societatem adornabatur, corusca vi horribilique fragore displosum est. In lucem ante prodierat quidam libellus, pluribus mendaciis ineptiisque, quam verbis constans, inscrip-

ſcriptus: *Reſpublica Paraquariæ*, ab omnibus, ſi plebem imperitam excipias, cum riſu contemptuque exceptus. *Vide Animadverſionem III.* Nihilominus hoc famoſo libello, perinde ac ſi quædam eſſet ſummæ authoritatis ſcriptura, extortæ fuerunt a moribundo Pontifice Benedicto XIV. litteræ, quibus Cardinalis Saldagna Jeſuitarum totius Luſitanæ ditionis Inſpector, atque Corrector creabatur. Bonus vir Saldagna jubente Carvalio, cujus unius opera & arbitrio hæc omnia fiebant, nullis teſtimoniis, nullis tabulis, nulla ſuper hac re inquiſitione præmiſſa, Jeſuitas mercaturæ negotiationisque damnavit. Idem Saldagna transmarinis Epiſcopis vices ſuas delegavit, quibus Carvalius in mandatis dedit, ut earum regionum Jeſuitas ſimili modo condemnarent. Joſephus Boteglio de Matos Archiepiſcopus Bahienſis, religioni habuit imperata facere incognita cauſa, præſertim cum de Jeſuitarum negotiatione & mercatura nullus unquam ad ejus aures rumor perveniſſet. Itaque, nequid contra jus & fas committeret, quæſtionem ſuper hac re inſtituere decrevit, ſic animo comparatus, ut ſi innocentes, quales ipſe eſſe arbitrabatur, Societatis Patres reperiſſet, de ea re certiorem faceret Ulyſſiponenſem Adminiſtrum; ſin te-

 ſtibus

ſtibus convincerentur mercaturæ Eccleſiaſticis viris interdictæ, eos pronuntiata ſententia condemnaret, pœnaque afficeret. Itaque ſummos, infimoſque Civitatis ad dicendum teſtimonium vocavit. Primo loco teſtimonium juratus dixit D. Emmanuel Saldagna, vir princeps, & ejus, quem paulo ante nominavi, Cardinalis Saldagna germanus frater; fuit autem ejus teſtimonium Jeſuitis perhonorificum. *Vide Animadverſionem IV.* Tum omnes hominum ordines, præmiſſa jurisjurandi religione, pro teſtimonio auditi; Eccleſiaſticorum honeſtiſſimi; Collegium Canonicorum; viri militares; omnis nobilitas; mercatores; de plebe etiam multi: omneſque ad unum ſuis teſtimoniis Jeſuitas ejus criminis abſolverunt. Archiepiſcopus hujusmodi quæſtionis acta, & jurata teſtimonia ad Carvalium miſit, declaravitque, ſe mercaturæ nomine eos condemnare non poſſe, quos tam luculentis teſtimoniis univerſa Civitas eo crimine liberabat. His litteris acceptis majorem in modum excanduit Carvalius. Extemplo regiam navem Ulyſſipone Bahiam transmittere jubet cum duriſſimis mandatis in Proregem D. Marcum de Norogna, (cui ſucceſſorem in ea ipſa navi mittendum curavit) in Archiepiſcopum, in Jeſuitas. Ad Archi-

epiſ-

episcopum quod attinet, tanquam majestatis perduellionisque convictus de sede sua exturbatus fuit, violenterque dejectus; & in suburbano Sacello vitam privatus egit sanctissimam venerandus senex, Chrysostomis & Athanasiis annumerandus. Nunc ad Jesuitas.

Simulatque regia navis, de qua paulo ante dixi, Bahiam appulit nimirum 7 Idus Januarii, in Collegium nostrum, quod jam pridem militari corona cinctum erat, tanquam in Arcem vi captam, improviso irrumpunt administri regii cum militari præsidio. Locum sacratissimum, videlicet domesticum Sacellum, ubi venerabile Sacramentum asservabatur, per summam impietatem in carcerem convertunt, quo Patres cubiculis suis exturbatos violenter compingunt; omniaque miscentes sacra & profana, indiciis adeo ominosis tota domo concursare cæpere, ut miseri homines in eas angustias coacti, extrema sibi omnia ingruere non sine argumentis crediderint.

Ergo cum plerosque improvisa rerum facies vehementer perculisset, Correa in publica trepidatione sereno vultu, altam animi pacem ac securitatem indicante, sævum fortunæ ictum sic excepit, ut luculenter appareret, illi carcerem, & atroces in-

injurias pro deliciis eſſe. Hominis profecto in tam difficili rerum loco alacritas, & nata ad conſolandos ægros animos dicendi copia ſocios majorem in modum erexit. Refricabat enim Chriſti patientis memoriam, hortabaturque, ut ejus exemplo ad acerba quæque ferenda animos confirmarent; ſuſtentarent ſe interim ipſo innocentiæ ſuæ & præclaræ conſcientiæ teſtimonio; non defuturam ſervis ſuis benignam Numinis providentiam, nec maligne ab eo mercedem iis numerandam eſſe, qui æquis animis devorarent ærumnas, quas præſens fortuna copioſe porrigebat.

Ab horis pomeridianis ad bonam uſque noctis partem tenuit anguſta illa Sacelli cuſtodia, forenſibus interim adminiſtris cubicula, ſupellectilem, veſtes, latebras omnes angulosque diligenter excutientibus. Quibus peractis, ſecunda fere vigilia reditur ad Sacellum. Summus hic rurſum metus ac trepidatio. Correa vero animo geſtire, & triumphare præ lætitia viſus eſt, cum ſe sociosque produci vidit in eam ſcenæ faciem, quæ unum aliquem actum tragœdiæ Hieroſolymis datæ quodammodo adumbrare videretur. Nam de nocte inter faces & arma ex Collegio abacti Patres tanquam publici latrones ad littus procedere juben-

jubentur, ibique in phaſelos imponuntur, quo intempeſtiva illa navigatione eundum ſibi eſſet ignari; nihil enim notitiæ ab hominibus dura mandata exequentibus hauriri poterat; ſed funeſtum neſcio quid indicabant torva ſupercilia, & minax ubique ſilentium. Quare generoſis animis ſe quisque comparavit ad omnem fortunæ aleam fortiter ſubeundam. At tantiſper calamitoſis afflictisque hominibus reſpirare licuit, cum appulſum fuit ad *Jiquitaiam* ( littus eſt Urbi proximum ) ubi ſita eſt noſtra Probationis domus. Hanc Patres in domum includuntur, tanquam in laxiorem cuſtodiam, quam tamen perpetua circumdabat armatorum corona. Nunquam vero elegantius floruit voluptuarius ille Dei hortus, quam cum erat cinctus profanis excubiis. Nam religioſi homines ab aliis Inſtituti ſui curis vacui, & in eo rerum articulo conſtituti, communi humani generis hoſte lætum Apoſtolicæ operæ curſum interpellante, in id totis viribus ſe intendebant, ut afflictæ Societati auxilium a Deo Optimo impetrarent, quando eo malum devenerat, ut ope humana ſanari non poſſet. In primis fervidæ rerum divinarum commentationi ac precibus fere nunquam intermiſſis ſe dabant; multis & exquiſitis corporis afflicti-

oni-

onibus ſe ultro macerabant; & ea omnia, quæ ad placandum divinum Numen propitiumque reddendum cenſebantur idonea, contentione maxima uſurpabant, Correa ſic præeunte, ut injectis ab eo ſtimulis, cæteri ad hæc factitanda acrius incitarentur. Neglecto commodiori cubiculo, ad conclave, quod cum interiori Sacello continens erat, ſe recepit, & junioribus ibidem commorantibus contubernalem ſeſe adjunxit; tum ut delicias ſuas auguſtiſſimum incruentæ Hoſtiæ Sacramentum ſæpe numero interdiu noctuque venerari poſſet ex propinquo loco, tum etiam ut ipſa communis contubernii ſocietate præſto eſſet ad confirmandos charæ juventutis animos, ne vis impotentiſſimæ tempeſtatis eos loco moveret. Vehementer enim dolebat illorum vicem, qui deteriorem optionis partem amplectebantur (dabatur enim optio) & ne in exilium irent, a Societate deficiebant id temporis, quo tempore mereri magno apud Deum lucro erat. Urgebat etiam Societatis amor, ut omni ſtudio plagam averteret, quam matri chariſſimæ imponebant filii degenerantes, ignavi deſertores.

At eam ipſam ob cauſam non cum uno hoſte certandum illi fuit, multa enim contra occurrebant ad Societatis deſerendæ con-

consilium invitantia. Triste exilium idque irrevocabile, incommoda longissimæ navigationis in summa rerum omnium penuria; in ipsa navi teter & diuturnus carcer; peregrini morbi ab insueto cœlo dimanaturi: & hoc genus multa iis, quorum aut ætas aut virtus erat imbecillior, objiciebantur. Accedebant propinquorum, amicorumque blandæ suasiones, pietatis speciem præseferentes; cum enim severissime cautum esset, nequa fieret cum nostris collocutio, illis tamen, qui vel propinquitatis vel amicitiæ nomine quemquam hortari vellent, ut a Societate desciseeret, libera fiebat colloquendi copia. Ad extremum ut eo facilius ejusmodi res persuaderi posset, quo quæstuosior appareret, Societatem deserturis insidiosæ fiebant pollicitationes; Ecclesiastici honores, & opima Sacerdotia proponebantur.

Hæc arma, quamquam plurimum possunt, masculam tamen multorum constantiam labefactare non potuerunt; quorum plerique, quod in statione sua manserint, Correæ monitis acceptum referunt. Is enim, si quos nosset defectionem cogitare, statim adibat, solabatur, commonefaciebat, rogabat denique, & obtestabatur, ne pulchram virtutis exercendæ materiem desererent,

terga

terga indecore vertentes, cum peropportuna ſe objiceret occaſio dignam Chriſti militibus fortitudinem ſpectatoribus Angelis cunctisque Cœlitibus probandi; ſerio perpenderent deſerendi turpitudinem, cujus ingenuos adoleſcentes pudere oportebat; ſecum reputarent, qua eos charitate ſollicita Mater Societas fuiſſet proſecuta, quanta cum ſedulitate litteris informare, & ad omnem pietatem confingere allaboraſſet; turpe eſſe tot ſanctiſſimæ Matris beneficia in oblivionem dare, formidandam non eſſe magnis virilibusque animis impendentium malorum faciem, quamvis appareret horrida; quidquid virium ad ea generoſe perferenda opus eſſet, a Deo optimo, et, quæ ipſo minor non ſit, ærumnarum mercedem expectarent.

His palam adhortationibus, & clam piis votis pro chariſſima ſibi juventute nuncupatis, ſaniorem mentem nonnullis injecit, palantesque ad ſigna revocavit. Eos vero, qui fortes conſtiterant, ita confirmavit in antiquo propoſito nobiſcum merendi, ut extorres, egentes, in alienas terras ejici maluerint, quam a ſacra militia infelicem miſſionem, quæ illis obtrudebatur, accipere. Nonnulli etiam moleſtos hortatores, qui paſſim ad ſuadendam defectionem ſubmitteban-

bantur, intrepide monuerunt, ne operam & tempus perderent insulsis suasionibus; sibi enim certum omnino ac fixum esse chara omnia potius amittere, quam Societatem deserere.

Inter hæc ornabantur naves, & exilio Patribus indicto, instabat profectionis dies: cum amicorum non nemo id obtinuit, ut elusa vigilantia excubiarum, quæ quidem perpetuæ ac pervigiles nihil ad ærumnarum levamen aspirare sinebant, involucrum papyraceum aureis nummis refertum viatici nomine Correæ in manus traderetur. At ille non segnius, quam alias fecerat, oblatum aurum repudiavit. Immo cum in diuturnam navigationem de re vestiaria provisum esset, parce id quidem atque restricte, quantum scilicet per difficillima tempora licebat, Correa veritus, ne divinæ Providentiæ, cui se totum dedere constituerat, tantum diffidere videretur, quantum sibi humanitus provideret, deliberatum habebat, præter id, quod corpore gestabat, nihil admittere; sed Moderatorum imperio coactus est sententiam mutare. Quare si quid in rejectaneis deterrimum fuit, ac pene inutile, id ipse in sacculum collegit; eoque præsidio, quod vix circumforaneum mendiculum deceret, in longissimum iter se munivit.

# CAPUT VIII.

*Bahiâ Ulyssiponem, inde Romam cum proscriptis sociis proficiscitur.*

Tres menses & amplius detenti fuere Patres in Jiquitaensi custodia, unde tandem educti armato milite latera stipante, in paratas naves imponuntur die XIV Kalendas Maji. Correa Prætoriam conscendit, in cujus armamentarium una cum LXXXIV sociis detrusus est, additis ad angusti carceris ostium perpetuis excubiis, nequa cum cæteris vectoribus esset collocutio. Tumultuaria & intempestiva conscensione (in primas enim noctis tenebras inciderat) factum est, ut nullo servato ordine unusquisque transigendæ nocti locum, quem primo sors obtulerat, promiscue occuparet. Et quidem malignum adeo Correæ obtigit spatium, ut eo nec stare, nec sedere commode posset. Erant calores (ut sub torrida cœli regione) maximi, nec auræ quidquam afflabat, occlusis nimirum loci fenestellis. Quare in illud velut hypocaustum coacti miseri homines immodico sudore diffluentes, ægre spiritum ducebant. Correa vero tanto plus angoris hausit atque molestiæ, quanto angustiorem

in

in locum erat conjectus. Profecto ea nocte, ut ipse postea referebat, de se actum iri, non temere sibi persuaserat.

Nihilominus in ea cruce constitutum cum rogaret sociorum nonnemo, ut ad fallendas inclementissimæ noctis molestias tantisper caneret, actutum ille, quasi foret omnibus deliciis perfusus, ægros animos mira suavitate demulcere aggreditur, argumento carminis in præsentem rerum statum belle quadrante; eo enim Angelus inducebatur, qui Xaverium ad Indicam navigationem, incredibilesque subinde tolerandos labores invitabat.

Prima luce consequentis diei unusquisque lectum, qualemcunque præsens dabat fortuna, sibi legit, aptatque in longissimam navigationem. Correa, qui ætate quidem non in postremis, habita vero meritorum ratione certe in primis erat, omnes sibi præferri gaudens, de loco in quo erat, pedem non movit, donec singulas sedes singuli occupassent. Una supererat ab omnibus repudiata, quippe cui clavi calamus, tignum versatile, tam prope eminebat, ut tuto illic esse nemo posset. Istam Correa libenti animo cepit, et sibi oblatam perpetui gravissimique incommodi occasio-

 nem

nem avide arripuit. Hinc vero factum eſt, ut aliquando a magno vitæ periculo non procul abſuerit. Cum enim per incogitantiam erecto corpore tantisper conſiſteret, ſtaturæ plusquam juſtæ homo, trabs illa verſatilis ex improviſo incurrens vi tanta ejus capiti eſt impacta, ut certiſſimam mortem allatura videretur; eumque omnes ab eo diſcrimine divinitus liberatum eſſe cenſuerint.

Jam vero reliquæ ærumnæ, quas in navigatione illa pertulit, hominem profecto confeciſſent, niſi ſimilibus ipſe jam pridem volens ac libens aſſueſſet. Neceſſariis communis fortunæ incommodis voluntarias, quibus ſe peculiariter affligeret, pœnas adjiciebat. Cilicio frequens ſe cruciabat. Lectulo, quem torquendo (ut dictum eſt) quam recreando corpori aptiorem legerat, nunquam detractis veſtibus cubuit. Quotidianam jejunandi neceſſitatem, quam calamitoſa temporis conditio impoſuerat, libentiſſime ferebat, imo ſiquid potionis ex Americana faba confectæ aliquando illi privatim porrigebatur, aliis hauriendum dabat.

Præter victus malignitatem ſumma erat aquæ penuria; *Vide Animadverſionem V.* Correa igitur frigidæ menſuram parce re-

ſtri-

ſtricteque in ſingulos quotidie diſtributam, ſuæ immemor ſitis, in alienæ ſubſidium ſæpe conferebat; nec raro diem ſolidum tranſigebat ſolis gaudiis, quæ ab illo liquidæ voluptatis fonte, Deo Optimo Maximo, in ejus animum affluebant, abunde perfuſus. Cum vero nihil jam illi ſuppeteret, quo aliorum ſitim reſtingueret, inſtar mendiculi victum oſtiatim quæritantis, a reliquis ſociis tantulum frigidæ corrogabat, ut uni cuivis ſitienti ſubveniret; quod ſi aliter ſuccurrere non poſſet, ſiti enectos blande ſolabatur patientis Chriſti memoriam ſubjiciens, monebatque, ut amantiſſimo ſervatori gratias agerent immortales, quod indignis ſervulis ſuæ crucis particulam impartiret.

Illud quoque non mediocrem afferebat intuentibus admirationem, quod afflictæ valetudinis hominem præſentes calamitates nihilo ſegniorem redderent ad conſueta pietatis exercitia; tenore enim ſemper æquabili matutinam divinorum commentationem, Lauretanas, & iter facientium preces, quæ a noſtris quotidie publica comprecatione habebantur, cæteramque de more noſtro rerum ad pietatem ſpectantium operam obibat genibus nixus atque immobilis, etiam cum navis vehementiorem in modum ſubſultaret.

 In-

Inter hæc Ulyſſiponem perventum eſt Religioſi exules quinque ipſi & ſexaginta ſupra ducentos, ut in Italiam inde trajicerent, unam omnes in navim compinguntur. Dum vero in anchoris hic ſtatur, ad moleſtas putidasque ſuaſiones reditum, multumque in expugnanda noſtrorum conſtantia laboratum fuit. Nec junioribus modo ſed ipſis etiam veteranis & ſolemniori Sacramento adſtrictis, ut ab antiquo inſtituto deſciſcerent, atque ultro oblatam a Societatis militia (his temporibus perdifficili) miſſionem amplecterentur, frigidis ſane rationibus ſuadebatur.

Correa igitur in ferventiſſimas preces effuſus ſocios, qui paſſim ab regiis Admi niſtris ad audiendam inſulſam cantilenam [illegible] vocabantur, ſuperis omnibus commendaba[illegible] ne in fraudem inducti quæſtuoſis ærumni[illegible] peſſimam libertatem anteferrent. Jam ver[illegible] generoſis animis fraudulenta promiſſa re ſpuentes & ad cuſtodiam redeuntes gratu labundus excipiebat, ac ſpecioſos, ut voca bat, eorum pedes, qui Chriſti veſtigiis pe viam crucis inſiſtere, quam ad profanam E gyptum retroire maluiſſent, demiſſis gen[illegible] bus ſemel iterumque oſculabatur.

His ita peractis, tertio Kalendas Ju[illegible]
ſub-

ublatis anchoris ex Tago Italiam versus
olvitur. Correa sui nunquam dissimilis vir-
utum instauravit exempla, quibus priorem
navigationem consecraverat. Multis parco,
ne rerum similitudine patientiam lectoris
obtundam. Satis sit unum perstringere,
quod miram ejus & obedientiam, & affli-
ctandi sui curam peculiariter declaravit.
Ad Genuæ portum ventum erat; & inter-
dicta in urbem exscensione, inde Centum
Cellas devehendi Patres in minores naves
conscendunt. Aliam Correa tenuit; in ali-
am pauperrima ejusdem utensilia, tria ni-
mirum culcitra, & vile stragulum per in-
curiam deferuntur. Adversa quæque pati-
endi avido nihil gratius evenire poterat.
Nuda igitur contignatione lætus cubat. Ea
res junioribus, quibus ipse erat charissi-
mus, indigna visa est; quare commodio-
rem lectum instruunt, & invitum in eo
collocant. At interim Pater, qui ministri
vices gerebat (Ministrum appellamus eum,
qui rem in Collegiis administrat, & religio-
sam disciplinam exigit secundus a Rectore)
quid a junioribus provisum fuisset ignarus,
atque hominis misertus, quem putabat om-
ni ad captandam quietem commoditate ca-
rere, eum ad angustum naviculæ conclave
avocat, & scamno, quod unum ibi vacuum

ſupererat, ſeſquipalmum lato quieſcere jubet. Obtemperat ille tacitus; & incommodiſſime jacentem cum monerent nonnulli, ut rem ei, quem dixi, Patri aperiret, atque eo ſe cruciatu liberaret: Ego, inquit, nunquam alibi melius conſiſtere potui, quam ubi me obedientia collocavit; nec unquam committam, ut Præſidum meorum juſſis quidquam opponam: imo venerari debeo arcanam amantiſſimi Numinis providentiam, qua jubeor vel damnum ipſum, mihi videlicet bona fide illatum, in beneficii loco reponere.

Hac igitur cruce, et cæteris corporis moleſtiis, quas in ærumnoſo adeo vitæ genere immanes ſorbuit, ſupra modum attritus navigationem abſolvit exeunte Julio; ipſo enim Parentis Ignatii pervigilio in Centum Cellarum portum ingenti lætitia (ut fit poſt diuturnos angores) exſcenſum eſt; eaque in urbe humanitas, nuſquam ante reperta, obviam ſe dedit miſeris hominibus; quos terreſtri poſt itinere profectos Roma, uti Caput & Regia veræ Religionis, ita chriſtianæ erga miſeros & calamitoſos charitatis auguſtum domicilium clementer excepit.

CAP.

# Caput IX.

*Ejus ratio vivendi Romæ.*

Romæ, quantum ſibi ab externis miniſteriis vacationis eſſe intellexit, tantum domi ſtudio religioſæ diſciplinæ impendere decrevit. Quare ad inſtaurandam quotidianam vitæ rationem prius inſtitutam, quam ex parte navigationis ergo intermittere neceſſe habuit, diligenter animum applicuit; quædam etiam adjicienda curavit, et hanc fere diei totius deſcriptionem ſervabat. Ad primum evigilandi ſignum quamvis incommoda & afflicta valetudine uteretur, lectulum deſerebat, et matutinæ rerum divinarum contemplationi ſe dabat. Tum penſi ſacerdotalis partem, divino ſacrificio de Eccleſiæ ritu præmittendam, attentiſſime exolvebat. Tum ad Sacrum faciendum omni ſe diligentia comparabat; ſeſquihoram enim plerumque intra conclave partim meditando, partim precationem bene longam percurrendo terebat. Inde in privato Sacello cæteris ad aram facientibus intererat, atque interim fervidis ſacroſancti myſterii commentationibus & jaculatoriis, quas vocant, precibus ſacrum ignem, quo abſumi gaudet cœleſtis Victima, conci-

pere nitebatur. Omnium tandem postremus ad aram accedens rem divinam faciebat: et tanta quidem in vultu atque in omni gestu pietas emicabat, ut ipse Sacrificium facientis conspectus mirum in modum adstantes inflammaret.

Sacrificationem excipiebat in semihoram ut minimum producta gratiarum actio; quo fiebat, ut jentaculi quidquam affecto stomacho, his videlicet functionibus nonnisi multo jam die solutus, nunquam adhibere posset. Ut primum se in cubiculum recepisset, ex aureo Thomæ a Kempis libello quædam accurate libabat, unde Christum eo die imitari disceret. Quod precum divino Numini debitarum reliquum erat, statis horis pendebat; ecclesiasticarum enim sanctionum rigidus ac severus custos id semper studuit, ut canonicæ divinorum carmini distributioni ipsa quoque psallendi tempora congruerent; ordinem invertere non ausus, nisi urgeret necessitas.

Præter quotidianam in se disquisitionem bis apud nos usurpari consuetam, singulis horis in se breviter descendebat, rationum suarum severus exactor, ut expenderet, num qua in re Deo displicuisset author-

authorque fuit noſtris, ut idem facerent. Cum menſæ accumberet, in qua ſingularis ejus modeſtia & frugalitas apparebat, magis animo quam corpori reficiendo intentus, ab ore legentis unice pendere videbatur. Siquid interim audiret peculiariter dictum vel factum, quod virtutis documentum contineret, poſtea in commentariola notabat, ut ſe ad imitationem incitaret.

A prandio quidquid temporis ad noctem uſque ſupererat, partim ſtudio librorumque lectioni, partim piis exercitationibus tribuebat. Horas etiam nonnullas optime collocare conſueverat in inſtituendis privatim ſociis ad ipſum frequenter adeuntibus. Ventitantes excipiebat humaniſſime (nihil enim eo comius fuit ac facilius) tum de religioſa perfectione diſſerendo multum proderat audientibus; quibusdam enim veluti aculeis ita eorum, quos alloquebatur, animos ad virtutem ſtimulabat, ut auſi ſint affirmare, qui ejus conſuetudine familiarius utebantur, majorem ſe fructum cepiſſe Corream audiendo, quam aut æterna meditando, aut libros de iis rebus tractantes legendo. Eo ſane magiſtro ac duce, (ut alios omittam) ſancte vivendi moriendique artem condidicit Emma-

manuel Vieyra, inſigni pietate juvenis, qui anno poſt ductorem ſuum pie ſancteque mortem obiit. Hic enim ſalutaribus Correæ inſtitutionibus & familiaritate, qua frequentius Romæ uti cœpit, tantam brevi vitæ religioſæ perfectionem eſt conſecutus, ut nullam earum virtutum, quas in ſcholaſticis ſuis amat Societas, in eo deſiderare poſſet.

Jam vero (ut ad Correæ quotidianum vivendi tenorem revertamur) quidquid temporis intercedit a prima nocte uſque ad preces, quas cænæ præmittere ſolemus, Deiparæ Coronam attentiſſime percurrendo inſumebat; tum communibus Litaniis peculiari quadam religione intererat; præſertim ad ea verba: *Ut nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris*, ita caput demittebat, ut ſatis indicaret, nihil ſe vehementius cupere, quam poſtulatum illud obtinere. Deinde reliquis cœnatum euntibus, ipſe genibus (ut erat) nixus uſque ad alteram menſam precari perſeverabat ante auguſtiſſimum Sacramentum, erga quod myſterium incredibili pietatis ſenſu tenebatur. Poſtremo neceſſariam quietem antecedebat divinarum rerum meditatio in multam noctem producta, quam

ple-

plerumque excipiebat rigida verberatio in ſecretiſſimo domus angulo ſuſcepta.

## Caput X.

### *Supremus ejus morbus, & pia mors.*

Inter hæc pietatis ſtudia, quibus vicinæ mortis veluti præſagus magis ac magis in dies ſe dabat, ſemeſtrem vitæ curſum Romæ confecerat; cum ineunte Februario anni 1761. tentatus fuit gravedine periculoſa; qua deinde in mortiferam peripneumoniam deſinente, intra paucos dies extinctus eſt; nam ex diutinæ patientiæ conſuetudine cum ad omnem pene doloris ſenſum occalluiſſet, gravem morbum tanti non fecit, ut ſtatim ſe in lecto collocaret. Quare pertinax malum, cui naſcenti obſtatum non fuit, ſumptis ab ipſo contemptu viribus majorem in modum invaluit, atque omnem medicorum artem diligentiamque vicit, atque eluſit.

Eo tandem in valetudinarium delato, plane compertum fuit, quanti hominem haberent domeſtici; ſuis pro ſe quisque, juniores præſertim, officiis in eum decertarunt, & mercedis loco habuere illuſtria virtutis, quæ in *infirmitate perficitur*, documenta; etenim quanto brevius vitæ ſpatium ſibi

bi reliquum esse norat, tanto majori cura studuit eas temporis reliquias optime collocare; quare eos, qui sibi astabant, modico sermone uti cupiebat, ut momenta, quæ supererant, cum Deo, & Cælitibus patronis suis transigeret. Medicis & ægrotantium curatoribus mira parebat alacritate, ad omnia, quæ ipsi præscriberent, paratissimus; nec voluntatem modo, sed ipsum etiam judicium eorum arbitratibus ita subjiciebat, ut non semel quæ paulo ante sibi noxia judicaverat, iis aliter sentientibus, eadem statim profectura maxime crediderit, ac libentissime sumserit. Oculis in objectam Christi de cruce pendentis effigiem defixis, quidquid vel pharmaci vel cibi caperet, tacitæ precationis sale condiebat. Pronunciantibus Medicis, exigua in spe esse ejus vitam, tantum abfuit, ut expavesceret, ut ne a jocis quidem abstinuerit, quos in familiari sermone usurpare consueverat. Ardebat febri, tussique vehementissima torquebatur: nullum interim edebat gemitum aut doloris signum; immo gestientis, quasi belle haberet, oris hilaritas, & plenus divinarum laudum sermo animum prodebant cœlesti lætitia delibutum. Unum querebatur, videlicet quod in morbo delicatius haberetur; cum enim ex ægro pe-

ctore

ctore difficilime ſpiritum traheret, quæ quidem moleſtia majorem in modum depreſſo cubitu augebatur, curatum fuerat, ut quidam veluti pulvinus conficeretur, in quem a tergo ſuppoſitum reclinatus erectiore corpore, atque adeo commodius recumberet; ergo, quod ſui cauſa ſumptus fierent, vehementer angi cœptus eſt, nec prius acquievit, quam intellexit, eam rem non ad privatum ipſius, ſed ad communem ſimiliter ægrotantium uſum atque levamen effectam fuiſſe. Tum vero oculos in cœlum attollens de religioſi ſtatus bono ſuaviſſime diſſeruit, & chariſſimam Societatem, quod in ſe nullis (uti ajebat) meritis filium, maternam curam gereret, ampliſſimis laudibus ornavit. Atque inde palam teſtatus eſt eo, in quo jam verſabatur, extremo vitæ ſuæ articulo, illud ſibi magno eſſe ſolatio, quod ſuam & ipſe ærumnarum portionem habuiſſet in ea Societatis noſtræ calamitate.

Mori Sabbatho impenſe optarat, quod illi ex voto ſucceſſit, idque eum S. Aloyſio Gonzaga interprete atque internuncio præſciviſſe, non obſcuris indiciis perſuaſum eſt. Nam pridie, quam exceſſit e vita, allatam ſibi tabellam, in qua picta erat ſanctiſſimi juvenis imago, magno amoris ſenſu

diſ-

diſſuavians, multaque de Patroni ſui liberalitate præfatus auditus eſt, cum inſtanter imploraret ejus patrocinium, ut ſibi liceret conſequenti luce de mortali vita migrare. Inde, cum paululum conticuiſſet, rurſus eam imaginem lætis oculis intuitus: Teneo, inquit, mi Aloyſi! craſtino die ibimus. Ac nihil deinde longius illi erat, quam ut ſequentis diei lucem videret, ingenti lætitia ſuum illud Sabbathum identidem appellans, et feſtinare jubens.

Eæ fuerunt religionis ac pietatis ſignificationes, quibus Sanctiſſimum Viaticum ſumpſit, et Oleo ſacro ad extremam dimicationem inunctus eſt, ut aſtantibus pias lachrymas elicuerint; animo erat ita attento, dum ea peragebantur, ut Sacerdoti preces ſolitas percurrenti, cum opus eſſet, accurate per ſe ipſe reſponderit, et eidem verſiculum, ad quem forte hæſitaverat, in loco ſuggeſſerit.

Supremis jam Sacris delibutus juvenem ex his, qui prope ejus lectum excubabant, accivit rogavitque, ut Marianum Canticum, et Hymnum Ambroſianum ſibi voce præiret. Inde cum Deo intime colloqui, et cœleſtem patriam unice cogitare; unde fauſtiſſimum nuntium morti jam proximus

imus accepisse creditur, se nimirum immunem ac liberum a pœnis, quas purgantibus flammis animi luunt, ad beatam piorum sedem recta evolaturum; auditus enim est cum diceret, Deum submisse alloquens: novi equidem, novi Domine, quaslibet vel minimas animi labes eo igne purgari oportere; nec Tui fruendi copiam unquam fieri posse, qui probatissimo perpurgatoque auro non sit multo perfectior atque purgatior; at ego purgantium flammarum carcere, vel brevissimo tempore detentus, quomodo ferre potero videndi Tui desiderium? Sub hæc paulisper conticuit; et paulo post vehementiori gaudio gestiens: O me felicem! Tene ego Summo Bono fruar statim, ut hujusce corporis carcere liberabor? O me felicem!

Ferventissimis exinde cum Deo colloquiis agere non desistebat; quapropter quidam excubantium pro eo juvenum ad lectum accedens monet, ut tantisper demum interquiescat, nec se colloquio nunquam intermisso tantopere defatiget; cui ille vultu majorem in modum inflammato: tibi puer, inquit, neque has mihi delicias molestus interpellator abrumpas; scias enim, me Domini mei amore totum colliquescere. Cum vero interim adesset ægro-

 rum

rorum curator fomentum neſcio quod extimo ſtomacho adhibiturus; huic moribundus Pater ſe totum in ejus poteſtate eſſe ſancte affirmavit; faceret proinde quæcumque e re fore judicaret, cæterum videri ſibi horum jam nihil opus eſſe, quando æternum quieſcendi momentum inſtaret.

Haud multo poſt ad ultimam naturæ neceſſitatem deveniens, blande eſt cum morte conflictatus; et nulla oris diſtorſione, ſed vultu mirum in modum ſereno, ſenſibus integris, Jeſu & Mariæ ſuaviſſima nomina vocibus intermortuis appellando, placidiſſime ſpiritum extremum exhalavit nono Kalendas Martii anno poſt reparatam ſalutem 1761, cum ætatis quinquageſimum, initæ vero Societatis trigeſimum primum attingeret. Ejus ex hac mortali vita diſceſſum excepere piis lachrymis temperatæ gratulationes; atque omnium ea fere opinio ac vox erat, eum opis noſtræ nihil indigentem jam apud Deum pro nobis deprecatorem eſſe.

In ea omnia, quamquam viliſſima & nullius pretii, quibus ipſe vivens uſus erat, contentione maxima involatum eſt. Nec refectæ modo veſtes, verum etiam digitus crudeli pietate clam reciſus fuit. Secto cadave-

lavere faciundæ inſpectionis cauſa reperta ſunt in corde duo prominentis carunculæ tubercula clavorum inſtar capitata, quaſi pœnarum Crucifixi Domini, quem ille in corde ſemper geſtarat, veſtigia. Jacet in Templo, quod Romæ habet Societas Profeſſa, prope Aram ſanctis Angelis conſecratam.

Poſtremo illud mihi ſilentio prætereundum non eſt: Corream morte ſua Sociorum ſuorum vitam quodammodo redemiſſe. Cum enim Luſitani Socii fere omnes eodem morbi genere graviter periculoſeque ægrotarent, idoneo teſte compertum fuit; eum pridie ejus diei, quo die mortifera febri correptus eſt, ſe divino Numini pro fratrum ſuorum incolumitate vicariam hoſtiam devoviſſe; quod quidem votum ratum fuiſſe, inde ſuſpicari licuit, quod poſt ejus ex mortali vita migrationem, quotquot eo morbo implicabantur, ex ipſis mortis faucibus revocati atque erepti ſenſim omnes convaluerint; cum ante non pauci mortem obiiſſent.

# De præcipuis Patris Emmanuelis Correæ Virtutibus.

## LIBER II.

### CAPUT I.

*Ejus Fides, & Spes.*

Hactenus P. Correæ vitam generatim percucurrimus. De ejusdem modo virtutibus quædam singillatim libabimus, ducto a fide exordio, utpote quæ fundamentum est omnium virtutum, quibus christianæ vitæ perfectio continetur. Fides igitur divina ex sacro fonte in ejus animum infusa ibi deinceps tanquam in regno suo singularem in modum est dominata; nam sic in ejus potestate semper fuit Correæ mens, cæteroqui perspicax, & quibuslibet obscuris rebus perscrutandis nata, ut nullam unquam sibi licentiam arrogarit curiosius investigandi divinarum veritatum ac mysteriorum causas supra captum nostrum positas, ad certissimum earum principium quam firmissime adhærens. Quo factum, ut in omni vitæ suæ tempore (id quod ipse palam affirmavit) nulla ne levissima quidem de

de his rebus dubitatio ejus menti se objecerit.

Ex hoc divino fonte profluebat ad ejus animum studium illud docendi alios hæc ipsa fidei mysteria, quo bene ab eunte pueritia flagravit; neque enim quidquam puer habebat antiquius, quam ut ad coævæ multitudinis coronam de iisinet rebus verba faceret, & fidei rudimenta explicaret. Hinc profectum consilium & propositum ineundæ Societatis; cum enim diu multumque perpendisset, utram ex religiosis familiis amplecteretur, ad Societatem animum applicuit, quippe quam norat in Catholica Religione propaganda majorem in modum allaborare. Hinc ardor ille, quo in Societatem cooptatus, Orientalis Indiæ provinciam tanta contentione sibi depoposcit, ut Xaveriana vestigia strenue persequens barbaras earum regionum gentes obiret, & christianis sacris imbueret.

Hinc vota illa & preces, quibus apud Præsides suos ardenter institit, ut ad barbaros Cujabaensis & Mattogrossensis regionum, in ultima Brasilia positos promulgandi Evangelii causa mitteretur. Hinc denique quotidiana illa precatio, qua ferventissime Deum orabat, ut in ea regna, unde

Catholica fides per ſummam hominum infe-
licitatem ejecta fuerat, poſtliminio rediret;
atque eo etiam inveheretur, quo nunquam
pedem intulerat.

Non minus Correæ Spes, quam Fides,
inter cæteras ejus virtutes eminebat. Li-
cet enim de ſe ipſo, rebuſque ſuis mode-
ſtiſſime & loqui & opinari conſueſſet, atque
ita viribus ſuis diffideret, ut ab omni arro-
gantia & vitioſa confidentia quam longiſſi-
me abeſſet, illud tamen in familiari ſermo-
ne identidem uſurpabat; Se, cum utriuſ-
que æternitatis momenta perpenderet, mi-
nime dubium eſſe, quin beatam illam eſ-
ſet conſecuturus, quam ſuo nobis ſanguine
divinus Servator acquiſivit. Inde manabat
mira illa ſecuritas ac tranquillitas animi, in
proſperis æque atque in adverſis ſemper
ſui ſimilis.

Sed vis & magnitudo hujus virtutis in
Correa tum maxime elucebat, cum aliqu
ex noſtris in metu ſalutis fluctuantes atqu
afflicti ad eum conſilii cauſa ventitabant
tanta enim luce turbas illas atque anim
nubeculas diſſipabat, ut ſedatis illis trepi
dantium fluctibus jacentes animos in ſpem
magnam æternæ ſalutis erigeret. Breve
idem ſententias huic rei accommodatas e

Sa-

Sacra Scriptura decerptas in promptu semper habebat, quas modo suam modo aliorum spem acuendi gratia quam apposite in tempore & loco proferebat. Nominatim vero illud Regis Vatis: *In te Domine speravi, non confundar in æternum*, sæpissime usurpabat.

Nunquam vero pulcrius hujusce virtutis specimen dedit, quam cum supremum ægrotans in lecto decumberet. Severe pronuntiaverat Medicus, spem vitæ prope nullam affulgere; ad quæ ille subridens, versor, inquit, in extremo discrimine vitæ mortalis, quam tamen nihili facio, semperque feci; id unum mea interest maxime, ne vita scilicet immortalis in periculum adducatur; at vero Domini mei bonitas cor meum sic roborat atque confirmat, ut me ab altitudine spei meæ dejicere nihil possit. Et profecto mortem, quam plerique omnium terribilium terribilissimum ducunt, tam hilari serenoque vultu excepit, satis ut liqueret, eum nihil dubitare, quin ad beatam Patriam vocaretur, ubi Spem cum perenni æternaque bonorum omnium possessione esset commutaturus.

# CAPUT II.

## *Charitas in Deum.*

Tanta fuit in Deum Charitate, ut quæcumque vel diceret vel ageret, ex uno erga Deum amore proficiſci viderentur. Mortalia cuncta, etiam quæ hominum æſtimatione habentur prima, cum faſtidio quodam ſatietateqne tractabat, nec ullam iis amoris ſui particulam tribuebat, quam et ipſam non referret ad Supremum rerum Conditorem; quem ſemper ſibi præſentem habebat & quaſi ante oculos obverſantem. Sic enim mentem divinis rebus contemplandis aſſuefecerat, ut multiplices, quibus detinebatur, occupationes, ne momento quidem temporis ejus animum a cœleſtibus avocarent, aut intimum illud cum Deo commercium interrumperent. In familiaribus colloquiis, vel etiam de loco ſuperiore verba faciens, ad Numinis amorem ſenſim & vix arbitrio ſuo, orationem deflectebat. Quod ſiquis eo audiente de hujusmodi amore ſermonem injiceret, ille ſtatim lætitia geſtire & incaleſcere, ac dulces quandoque lachrymas fundere viſus eſt.

Inter-

Interdum hujusmodi colloquiis ita mens a corpore abstrahebatur, ut omnes eum sensus deficerent. Ex quo fiebat, ut inceptum quandoque sermonem ex improviso abrumpere, atque abire necesse esset. Evenit aliquando, ut cum eam ipsam ob causam in virium defectionem incidisset, voluissetque ad suum se cubiculum recipere, frustra id tentarit; nam (ut erat omni pene sensuum officio orbatus) tamdiu aberravit, quoad in obvium sacerdotem incidit, cujus ope ad cubiculi sui januam est deductus. Ut veram autem harum aberrationum causam obtegeret, naturalem capitis imbecillitatem causabatur; at omnes, quod re ipsa erat, id facile suspicabantur. Simili fere modo si quando ex Sanctorum gestis, quæ ad mensam lectitari solent, quodquam illustre erga Deum amoris facinus audiret, tanquam cœlesti quodam monito impulsuque percitus extra se rapi videbatur; interdum vero nec lachrymas tenere poterat, sumendi cibi pene oblitus.

Ex hoc ipso erga Deum amoris fonte manabat odium peccati. Nec solum a graviorum noxarum conscientia quam longissime abfuit, sed ne levissimas quidem labes sciens volensque admisit.: cujus rei illud satis magno argumento est, quod nul-

lam Instituti nostri legem vel minutissimam ab ipso violatam ullus vidit mortalium. Suo tamen erga Deum amori se vix satisfacturum putabat, si nihil ipse faceret, quod ullo modo ei displicere posset; sed præterea omni ope nitendum sibi esse duxerat, ut ab aliorum commissis Dei honorem sartum tectumque servaret; quare nusquam passus est, elabi sibi occasionem homines a perpetrandis flagitiis avocandi. Id vero si obtinere non posset, ad ulciscendam saltem injuriam Deo irrogatam in suum corpus quam acerrime sæviebat, exigens a se ipso supplicia, quæ alienis piaculis debebantur.

Sanguinem atque ipsam adeo vitam (in quo summa est Charitatis) religionis ergo profundere in primis optatis habuit, cætera tamen hilaris, id tantum mœstus, quod totas Orientis regiones Christo submittere non posset, et pulchram mercedis loco necem accipere. Atque hujus profecto ardoris, quem pectus capere vix poterat, indices quandoque faces ad extima prodibant, et foras se dabant; nam præter illos inter meditandum columbinos gemitus, quorum & muta noctis silentia, et taciti parietes fuerunt conscii, haud raro lingua ipsa, quemadmodum cor intus deflagraret,

raret, vel injuſſa loquebatur ſelectis quibusdam ſacrarum Scripturarum verſiculis, ad hunc ipſum erga Deum amorem animum inflammantibus. Præſertim cum ſupremus eum morbus opprimeret, fatiſcente jam corpore, et ſpe celeriter migrandi concepta, incredibile dictu eſt, quantum illi animus geſtierit: nempe gaudia quibus erat intime perfuſus, ita non ore modo ſed omni etiam toto vultu indicabat, ut guttulam ex beatiſſimi amoris torrente, de quo patriæ cœleſtis incolæ largiſſime hauriunt, antequam e vita migraret, prælibaſſe videretur.

## CAPUT III.

### *Charitas in Proximos.*

Ab eximio erga Deum amore, cui ſe totum dediderat, inſignis illa Charitas emanavit, qua omnes mortales eſt proſecutus. Et quoniam animus nunquam interiturus tantum corpori præſtat, quantum immortalis naturæ gemma vas fictile pretio antecellit, principes curas ad æternam animorum ſalutem procurandam contulit. Hac de cauſa nihil æque in optatis habuit, atque penetrare in barbaras regiones, quo vel nullus adhuc vel admodum tenuis Evan-

vangelicæ tubæ sonus pervenit, ut miseros homines, pro quibus suum divinus Servator sanguinem profudit, ad veram Ejus cognitionem perduceret. Cum autem vastissimas Orientis terras aut remotiores Brasiliæ sylvas peragrandi, uti ardentissimis votis expetiverat, potestas illi facta non fuit, mansuetas saltem Christi oves, inter quas versabatur, pro viribus adjuvare constituit.

Quare cum juventutem in scholis erudiret, id maxime curabat, ut auditores sui non minus artium præcepta, quam Christianæ philosophiæ scita condiscerent. Præter quotidianas muneris sui occupationes, alia in publicam utilitatem onera subsecivis operis extra ordinem subibat, ad quæ perficienda multum etiam de necessaria quiete subtrahebat; multi enim ejus operam quotidie deposcebant; & modo ut aliquem expediret implicatæ conscientiæ nodum, modo ut sacras confessiones audiret, nec raro ut auxilio morientibus adesset, arcessebatur. Jam vero in privatis cum externo quoque colloquiis nihil erat illi potius, quam ut eos, quibuscum colloquebatur, officii sui commoneret, fluxarum rerum vanitatem, perennemque futuræ vitæ durationem ante oculos poneret, Sacramenta rite

obe-

obeundi rationem condocefaceret, atque eorum frequentem uſum ſuaderet; idque tanto ardore & eloquentia, ut quæcumque proferret, non ſub labiis nata, ſed multo ante ſtudio elaborata viderentur. Ut divinum Numen ſceleſtis hominibus placaret, & ab illorum capitibus, quod ipſi ſuis flagitiis commerebantur, exitium averteret, crebro ſe flagellis cædebat.

Sed hæc ad extraneos pertinent; illuſtriora ejus erga domeſticos extitere Charitatis argumenta. Nulli unquam negotium vel minimum faceſſivit; in primis enim ab omni nationum ſtudio alienus in omnes, tum noſtrates tum alienigenas benevolentiam & amorem æquis partibus dividebat. Singulorum ingenia, mores, & quævis naturæ vitia perbenigne tolerabat. Altercationes, quæ inter mutua colloquia plerumque ſuboriuntur, religioſiſſime cavebat. In aliorum laudibus nec taciturnus erat, nec parcus; idem vero in alienis vitiis nihil videre videbatur. Sic autem aſſueverat in æquam partem interpretari cujuſcumque dicta vel facta, ut nihil non excuſaret; quod ſi res ipſa benignam interpretationem habere non poſſet, mentem ſaltem & finem, propter quem feciſſet, boni conſulebat. Hinc nullum unquam ex ejus ore verbum exi-

exivit, unde quisquam poſſet offendi. Neque ullus fuit tam impudens, qui eo præſente, in abſentium famam ullo modo invehi auderet. Quod ſicui per imprudentiam verbum aliquod excideret, quo vel leviter alicujus nomen peteretur, illud ſtatim cum ſale corrigebat, ac refutabat in tempore feſtivus, ſermonemque alio magna cum dexteritate detorquebat.

Cum in rebus adverſis ad id indolentiæ deveniſſet, ut ſi mortalia cuncta vidiſſet in ſe ruere, nihil commoveretur; ſiquid tamen aliis ſequius accidiſſet, id demum vehementer illum ſollicitabat, atque angebat. Præſertim ſicujus æterna ſalus in diſcrimen vocaretur, incredibilem in modum angebatur, atque, ut ab eo malum deprecaretur, ardentiſſimis precibus operam dabat; nec eas ſolas, ſed flagellis, jejuniis, aliiſque corporis afflictationibus comitatas uſurpabat. Quo quidem auxilio nonnullos e noſtris de Societate deſerenda cogitantes ad ſaniorem mentem ita revocavit, ut exitiales curas a ſe penitus depulerint. Romæ quoque nonneminem hujuſmodi charitatis officiis Deo lucratus eſt. Hic poſt multiplices ærumnas, magnoſque pro Chriſto exantlatos labores, (ut ſunt inconſtantia mortalium ingenia) Societati nuntium remit-

nittere moliebatur, eratque insani propo-
iti tenacissimus; aliqui e Sociis ad eum a
emerario consilio avocandum multum ope-
æ atque laboris posuerunt; sed frustra
mnino id conati sunt. Cum ergo ab aliis
lesperata res esset, ad P. Correæ opem con-
ugitur. Ille primum precibus votisque
pro fausto felicique rei exitu susceptis ne-
gotium apud Deum urgere aggressus est.
Tum vero suavissima oratione, ac mirum
in modum flexanima, pertinacem juvenem
adortus brevi perfecit, ut is resipisceret,
consiliumque mutaret.

Quemadmodum vero hunc, et alios
eadem molientes, ab ea mente propositoque
deterruit; ita multis virtutis iter insisten-
tibus, ut alacrius currerent, calcar adjicie-
bat. Nec præsentes modo verum etiam
absentes suis adhortationibus ad virtutem
ejusque perfectionem per litteras excitabat,
alioquin in scribendis epistolis admodum
parcus. Olindæ commorabatur, cum for-
te Bahiæ portum tenuit navi Anglicana
vectus Franciscus Atkins, nobili loco at-
que in ingentes opes natus adolescens; is
authoribus nostris ad Catholicorum partes
transeundi certus ad Collegium nostrum
confugit, suis vehementer frementibus;
ibique catholicis mysteriis imbutus hæresim
rite

rite ejuravit, et omnibus, quæ charissima mortales habent, æternæ animi saluti postpositis, Societatem ingressus est. Eam rem ubi Olindæ rescivit P. Correa, suavissimas ad hunc juvenem litteras dedit, in quibus ille perlegendis tam mirificum hausit pietatis sensum, ut asseveranter affirmarit, se ad fidem Catholicam & Societatem amplectendam (nisi jam aliis rationibus esset adductus) sola christiana Charitate, quam in his litteris perspiciebat, certe adducendum fuisse. Bahiam postea reversus Correa, in eundem juvenem Philosophiæ tunc studentem, Professor ipse Theologiæ ea obibat ministeria, quæ vix famuli suis heris præstare soleant, ajebatque, omne officiorum genus oportere in illum juvenem conferri, qui multa pro Christo reliquisset; multa etiam perpessurus esset. Et multa quidem hodie patitur, Ulyssiponensibus custodiis una cum cæteris alienigenis detentus non aliam ob causam culpamve, quam quod fidem Catholicam amplexus Societati sese addixerat.

Supra dictum est, quam præclara ediderit Charitatis documenta, ministrando ægrotis, quos Anglicanæ naves ad Urbem S. Sebastiani detulerant. Jam domi, siquis in morbum incideret, mirum in modum com-

commiserabatur, identidem intervisebat, solabatur verbis humanissimis, et qua poterat ope recreabat. E multis hujusce rei argumentis unum seligo, ex quo cætera colligi possint. Phthisi laborabat in Collegio Bahiensi quidam e nostris scholasticis. Hujus peculiarem in se curam Correa suscepit. Interdiu noctuque illi aderat; ei cibum & potionem, et quidquid subsidii ægrotantis imbecillitas exigeret, per se ipse subministrabat, ac nihil industriæ sibi reliquum faciebat, quo morbum redderet leviorem intabescenti juveni, cujus interim animum ad extremam dimicationem felicemque ex hac mortali vita discessum quam diligentissime præmuniebat. Observabantur hæc a nonnullis, quos metus incessit, ne Correa ipse, dum ministrandi gratia extabescentem identidem attrectat, eadem contagione corriperetur; at cum frustra illum de hac re monuissent, Rectorem conveniunt, atque ut hominem periculoso charitatis officio prohibeat, per Deum obtestantur. Corream igitur ad se Rector vocat, eique plenum discriminis ministerium interdicit. At ille cum sanctissime affirmasset futurum se in Præsidis sui potestate, atque ejusdem imperata perlibenter facturum, sub hæc tam validas rationes, tam efficaces, ni-

mirum charitate ſuggerente, pro ſe attulit, ut Rectorem ad abrogandum interdictum continuo adduxerit; factaque ſibi poteſtate inchoatam operam perſequendi perficiendique, ad eadem ægroto miniſtrandi ſtudia perrexit alacrior, valetudinem atque ipſam adeo vitam poſteriorem habens adoleſcentis ſolatio, cui uſque ad extremum ſpiritum peramanter adfuit.

Poſtremo non amicis modo, & bene de ſe meritis, quibus maxime poſſet memoris gratique animi obſequiis, gratiam rependebat, & a Deo Optimo Maximo fauſta omnia quotidie precabatur; ſed ipſis quoque inimicis, quod caput eſt, benefacere magno ſtudebat opere; Chriſtum imitatus, qui pro parricidis in ipſa cruce & lachrymas & preces fudiſſet. Siquid a quoquam moleſtiæ injuriæve ſibi aut Societati cognoſceret irrogatum, multa prece & voluntariis pœnis corporiſque afflictationibus in ejus gratiam ſuſceptis Deum illi conciliare nitebatur. Eam ob cauſam Luſitaniæ Regnum Deo, & Sanctis in quorum peculiari tutela id Regnum eſt, ſingulari ſtudio commendabat. De Societatis adverſariis ſermonem injici non patiebatur; quod ſiquis in familiari colloquio hujuſmodi quidpiam attingeret, vel ſermonem illico abrumpebat,

at, vel contractæ frontis severitate impru-
entem quodammodo castigabat; atque offi-
ii sui commonefaciebat.

## CAPUT IV.

### *Meditandi, precandique Studium.*

R erum divinarum commentationi, quæ est
quasi nutrix omnium virtutum, erat
iirifice deditus: præter quotidianam ma-
itini temporis, cunctis in Societate præ-
riptam meditandi horam; plures alias in-
rdiu noctuque in eam rem insumebat;
am quo plus temporis suppeteret in his
nimi deliciis ponendum; idcirco haud pa-
im de necessario somno subtrahere sole-
it: Tanta vero mentis contentione com-
entabatur, ut a sensibus quandoque abstra-
i videretur; aliquando enim a curioso ob-
rvatore deprehensus fuit in conclavis pa-
imento velut statua marmorea, brachiis
ite pectus decussatis, flagrante vultu; ob-
tu sursum versum defixo hærens, & a
nsibus sic abstractus, ut ne intrantis qui-
em strepitum persenserit. Ipsa profecto
terna ejus, cum res cœlestes contempla-
tur, species ad virtutis amorem alliciebat
tuentes. Nonnulli ex militibus, qui dum

in Tago morabamur, pro excubiis ſtabant, Corream obſervantes cum meditationi operam daret, ejus modeſtiam & immobilem corporis ſtatum tantopere ſunt admirati, ut eum non hominem ſed angelum ſibi videri palam affirmaverint.

Quo perpetuam Dei memoriam foveret, ſemper divinorum aliquid mente volutabat; hinc mira facilitate vel inter externas occupationes aſſueverat æterna cogitare, nunquam recedens a commercio & contemplatione Dei procreatoris, cujus potentiam & bonitatem in rebus quibusque obviis agnoſcebat.

Quamvis autem primas daret precationi, quæ mente fit, eam tamen, quæ fit ore, frequentiſſime uſurpabat. Nam præter Marianam Coronam, aliaſque preces quotidianas, quas nunquam prætermittebat, quidquid ageret, adhibita brevi precatione veluti conſecrabat, atque inter agendum quædam ſibi aſſumebat intervalla; quibus quaſi interquieſcendi cauſa tantiſper ſpiritum colligebat, & interim aliquid jaculatoriæ, uti vocant, precis fundebat, quo ſ ad cœleſtia excitaret. Sacerdotale Canonicarum horarum penſum flexis genibus plerumque ſolvebat, idque tanta cum religi one,

one, ut minutissimas quasque Ecclesiastica-
rum legum præceptiones quam accuratissi-
me observaret. Etsi canonicarum precum
bonam partem memoria tenebat, earum ta-
men nihil, nisi sacrum codicem oculis per-
currendo recitabat, quod se idcirco facere
dicebat, quod Dei laudibus non os modo,
verum ipsos etiam oculos quam maxime in-
tentos esse oporteret. Jam vero nullum
majoris momenti negotium aggrediebatur,
de quo multis precibus cum Deo non age-
ret; & multis quidem experimentis com-
pertum est, res perdifficiles ejus ad divi-
num Numen legatione felicem exitum ha-
buisse.

## CAPUT V.

*Ejus Pietas adversus Christum Dominum.*

Divini Servatoris mysteria, e quibus præ-
cipua meditationum capita hauriebat,
religiosissimo cultu prosequebatur. Erga Do-
minum recens natum & in cunis vagientem
intimo amoris sensu afficiebatur. Natalitiis
feriis ad privatum sacellum, ubi nostræ ju-
ventutis pietas Christi præsepe affabre sole-
bat exstruere, vacuo ab arbitris tempore ita-
bat, atque in genua provolutus dulces can-

 tiun-

tiunculas divino Infanti conſecrabat, tam liquidis unici amoris indiciis, ut curioſos obſervatores, qui aliquando per oſtii rimas indagabant, quid intus ageretur, ad pietatem vehementer incenderet.

Nihil vero in deliciis & amore illi æque fuit, atque auguſtiſſimum divini Corporis & Sanguinis myſterium. Nec viator quisquam æſtuoſa via iter faciens tam avide quærit gelidum fontem, quam ille quaſi diuturnam famem ſitimque explere cupiens, ad hoc Sacramentum accedebat. Hinc diem nullum elabi patiebatur, quo ſe divino cibo potuque non reficeret. Valetudinis incommoda ſæpiſſime contemnebat, lectum defugiens, ne a facienda re divina abſtinere cogeretur. Quibus vero inter ſacrum faciendum deliciis eſſet perfuſus, dulces quandoque lachrymæ teſtabantur, leniter ex ejus oculis, ac ſine ſingultuum ſtrepitu profluentes. Cum eam veritatem animo imbibiſſet, nihil auguſtius ab homine mortali fieri poſſe, quam divinæ Hoſtiæ litationem, ad eam peragendam mira ſollicitudine ac ſtudio ſe comparabat, auſus nunquam ad aram accedere, quin prius ſe perquam diligenter excuteret, & accuratiſſima confeſſione expiaret, vir alioqui tanta vitæ inte-

gri-

gritate ac morum innocentia, ut plerumque ad ſacrum Tribunal vix quidquam deferret, in quod Sacerdotis ſententia rite ferenda eſſet, habita etiam anteactæ vitæ recognitione.

Præterea non paucas diei ac noctis horas ante divinum Numen ſub panis ſpecie latens perſtabat adorabundus; atque interim tanta ſuavitate ac delectatione perfruebatur, ut vix poſſet inde avelli, ubi theſaurum ſuum omnesque animi ſui delicias repoſitas habebat. In lecto erat aliquando, & viribus valde attritis ob multas ex inciſa vena ſanguinis miſſiones; ſed is potiſſimum dolor eum afficiebat, quod lectulo affixus nec ſacris operari, nec venerabile Sacramentum poſſet inviſere; cum igitur rei optatiſſimæ deſiderium diutius ferre non poſſet, die quadam e lecto ſe proripuit, ſacellumque, ubi divinum Epulum aſſervabatur, greſſu vacillante petiit. Poſtquam illic ſuo ſatis deſiderio fecit, ad cubiculum revertebatur, cum eum, quas amor eunti ſuffecerat, redeuntem vires deficere cœperunt. Itaque prolapſus eſt, & per aliquod tempus, idque non perbreve, humi procubuit ſenſibus orbatus; tanto ſcilicet ei ſtetit a chariſſimi Numinis præſentia recedere.

 Sin-

Singularem vero in id auguſtum myſterium pietatem amoremque explicuit ac declaravit eo die, quo die ipſe ac ſocii, urgente exilii edicto, in naves erant imponendi. Priusquam conſcenderetur, factum fuit poſtremum Sacrum, quo rite abſumendum erat Sacramentum; illud enim ſolitaria in domo vel certe profanis deinceps habitatoribus incolenda relinquere nefas eſſet. Itaque cum Sacerdos jamjam abſumpturus eſſet, terque crucis formam de more efficiens venerabile Sacramentum circumageret, quod abituri poſtremum adorarent, ab eoque & ſecundam navigationem & fauſta omnia ſibi precarentur, præter alia communiter obita erga Chriſtum in eo Sacramento præſentem religionis officia noſtri homines Ambroſianum carmen alternis concinere ſunt aggreſſi; inter cæteros Correa tum voce tum pietate eminebat; præſertim autem verſum illum: *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti*, tanto pietatis ſenſu, tantaque & religionis & amoris ſignificatione concinuit, ut nemo aſtantium lachrymas tenere potuerit.

Non minore pietate fuit erga Chriſtum patientem, cujus memoria illi ſemper obverſabatur. Hinc vivendi legem, hinc ad-

adversa quæque tolerandi exemplum atque alacritatem hauriebat; nam generoso quodam imitandi ardore illud identidem sibi recinens: *Amor meus crucifixus est*, atrocissima quæque pro Christo pati, ac millies emori cupiebat. Idem affirmabat, adeo quæstuosam mortalibus esse pœnarum Domini & necis pro nobis obitæ recordationem, ut uberiorem fructum capiat, siquis punctum temporis impendat pie, ut par est, contemplandis divini Servatoris cruciatibus, quam si affictando corpori solidum annum insumat.

Ipse autem ejusmodi contemplationibus voluntarias easque severissimas sui afflictationes adjicere consueverat; nam præter alia multa hujus generis, quibus sextos quosque omnium hebdomadum dies consecrabat, tota hebdomade majore, maxime vero anniversario humanæ Redemptionis die, exquisitissimis in se pœnarum inventis sæviebat; atque integram noctem, quæ Sabbathum sanctum præcedit, sic traducebat, ut a primo vespere effusus in preces, quas ab impositis sibi perquam liberaliter verberibus auspicabatur, ad multum mane in eodem hærens vestigio pervigilaret; qua de re certiores facti Præsides piæ hominis crudelitati, qua ipse va-

letudinem majorem in modum atterebat, frœnum injecere.

## CAPUT VI.

### *Cultus in Deiparam, et alios Cœlites.*

Secundum Chriſtum Servatorem ſingulari cultu ac pietate ſanctiſſimam Dei Matrem proſequebatur. Præter jejunia in ejus honorem ſingulis Sabbathis ſuſcepta, feſtorum ipſius pervigilia peculiaribus obſequiis celebrabat, Parvum Deiparæ officium, quod vocant, inter alias pias preces quotidie perſolvebat. Quotidianam Marianæ Coronæ percurrendæ conſuetudinem a prima pueritia ſuſceptam ad mortem usque retinuit. Eamdem Virginis Coronam e cingulo, tanquam ſui erga Matrem ſanctiſſimam amoris ſymbolum ac teſſeram ſemper geſtavit. De ejus laudibus eo paſſim ardore diſſerebat, ut ferreus omnino eſſet, quem ipſe ad chariſſimæ Matris amorem non flecteret, atque alliceret. Cum juvenes litteris inſtitueret, in id maxime animum intendit, ut pietatem erga divinam Matrem diſcipulorum animis ingeneraret, Mariani cultus ubique propagandi ſtudioſiſſimus.

San-

Sanctorum Angelorum cultor egregius, singulis beatarum Mentium Ordinibus singulos dies assignarat, quibus sua unicuique Ordini obsequia singillatim penderet. Principem vero Michaelem, & Angelum sui Custodem peculiaribus colebat officiis; multaque iis sequestris a Deo beneficia se impetrasse fatebatur. Multus prætera fuit in aliorum Cœlitum cultu, in quorum tutelam se tradiderat. Singulis enim muniis, ad quæ sibi erat incumbendum, singulos e Sanctis Præsides ac Patronos accire solebat & religiosissime venerari. Quoniam vero imitandarum, quibus ipsi floruissent, virtutum studium gratissimum iis obsequium esse norat, id potissimum curavit, ut ex illustribus Patronûm suorum gestis singularia quæque seligeret, quorum imitatione festos ipsorum dies consecraret.

Jam vero e nostrorum Cœlitum numero Ducem ac Parentem Ignatium, sanctum Franciscum Xaverium, in primisque delicias suas S. Aloysium Gonzagam insigni pietate est prosecutus. Eorum præclara facinora, qua lectitando, qua mente percurrendo, tanquam vitæ normam sibi proponebat; viamque, qua ipsi ad sanctitatis fastigium ascendissent, omni contentione tenere nitebatur. Et Gonzagam quidem ipsa

ipſa etiam externa corporis conformatione effinxit, ac perfectiſſime in ſe expreſſit.

## CAPUT VII.

### *Ejus Obedientia.*

Obedientiam, tanquam princeps Societatis ſacramentum, et peculiarem Ignatianæ militiæ teſſeram, in primis coluit, eidemque in cæteras virtutes integrum regnum permiſit, haud ignarus Gregorianæ ſententiæ, videlicet illas menti per hanc inſeri inſertasque cuſtodiri. Moderatoribus ita ſe dicto audientem præbebat, ut non modo aperta ipſorum mandata ſumma cum diligentia exequeretur, verum etiam nutus obſervaret ad obſequendum paratiſſimus. Siquando ab aliquo Præſidum accerſeretur, ſtudioſam parendi curam inceſſus ipſe, conſueto celerior indicabat. Moderatores cum hominis ad cuncta idonei ſolertiam diligentiamque atque obediendi alacritatem perſpectam haberent, tam multa illi extra ordinem imponebant, ut eum pene obruerent atque opprimerent. Quare multi eum hortabantur, ut afflictæ valetudini conſuleret, nec tanta rerum agendarum multitudine ſe ultra mo-

dum

dum onerari pateretur; quibus ille reſpondebat: nunquam ſe commiſſurum, ut ullis tergiverſationibus onera declinaret, quæ ſibi imponere Moderatoribus ſuis viſum eſſet; Deum, in cujus obſequium laborem ſuſcipiebat, tantum ſibi facultatis ac virium eſſe largiturum, quantum ſatis eſſet ad ea onera ſuſtinenda. Nec ſua eum fiducia fefellit; ſic enim Deo adjuvante omnia perficiebat, ut ne ipſa rerum quas agendas ſuſcipiebat multitudine, laudem amitteret optime abſolutiſſimeque agendi; quam laudem plerumque ii amittunt, qui multa ſimul agenda complectuntur. Quamcumque rem ageret, ſi vel litteram unam inchoaſſet, ad primum domeſtici tintinnabuli pulſum imperfectam relinquebat, et illico ei operi ſe dabat. ad quod religioſæ militiæ claſſico vocabatur.

Quoties ægrotaret, ad eam normam, quam nobis ægrotantibus ſanctiſſimus Parens Ignatius præſcripſit, ſe medicis & ægrotorum curatoribus obſequentem exhibebat. Eorum mandata, etiam quæ ipſe parum aut nihil ſibi profutura cognoviſſet, ſine ulla cunctatione exhauriebat. Cum in Collegio Olindenſi graviter ægrotaret, medicus inciſa vena ſanguinem elici juſſit. Norat ægrotus argumentis ab experientia captis

ptis tantum abesse, ut in eo morbi genere sanguinis missio quidquam prodesse posset, ut potius plurimum obfutura videretur, & mortem fortasse allatura. Itaque pendens animi, quo se verteret, nesciebat; nam si pertinaci silentio perversam curationem sustineret, merito verebatur, ne aut ereptæ sibi vitæ aut saltem valetudinis in deteriorem locum adductæ reus nocens fieret; ex altera parte medici præscripto quidquam opponere nefas ducebat. Eam igitur viam arripuit, ut medico verbis simplicibus, nulloque adhibito ad persuadendum studio, rem significaret; animo ita comparatus, ut medici de ea re jam edocti judicio totum se subjiceret, & meliora judicaret, quæcumque ipse decrevisset. Medicus autem id, quod æger proposuerat, haud contemnendum putavit, ejusque in ea re declaranda prudentiam ac moderationem plurimum dilexit.

## CAPUT VIII.

### *Ejusdem Paupertas.*

Voluntariam Paupertatem tanquam matrem charissimam ex mente S. Conditoris Ignatii religiosissime coluit; nec quis-

quisquam ex miseris rerum fluxarum amatoribus tantum operæ ac ſtudii in acquirendis divitiis poſuit, quantum Correa ſtuduit, ut proprium haberet nihil. Totus cubiculi ornatus continebatur papyraceis quibusdam ſanctorum ejus Patronorum picturis, quas ipſe ligneis regulis propria manu dedolatis incluſerat, & paupertati conſulens ſubtilibus cruſtis è ſpeculari lapide diſſectis vitrum ſuppleverat. Ægre adducebatur, ut tritas veſtes ac ſenectute confectas cum novis commutaret; atque illud dicere ſolebat: Religioſo viro in id incumbendum eſſe, ut veterem hominem exuat; novum autem, quem ſemel induerit, quolibet amiculo vetuſto etiam ac lacero decenter contegi. Romæ oblatam ſibi interiorem veſtem pinguem illam, ac pexam, qua videlicet in inſtantem hiemem ſe muniret, ad veſtiariæ rei curatorem retulit; negans ea ſibi opus eſſe, quod thoracem arcendo frigori optimum geſtaret; rem vero curioſius indagans veſtium cuſtos thoracem quidem reperit telæ viliſſimæ, eumque ſenio plane victum, multisque varii coloris pannis conſutum. Eidem ex Januarienſi Collegio ad Sanctorum Oppidum profecturo veſtiariæ rei præfectus per imprudentiam culpa vacantem (ut homi-

mi-

minem excuſabat) loco induſiorum tradidit laceras quasdam ſubucularum reliquias, quæ aliis farciendis jam erant ſepoſitæ; errore poſtea comperto, Correa obmutuit, majorem in modum gaviſus, quod ea paupertatis vexilla ferre ſibi licuiſſet. Aliquamdiu igitur intra carnem & exteriorem veſtem nihil præter rejectanea illa fruſta geſtavit; quorum tamen particulas, quæ minus detritæ eſſent, ad manuum juncturas collumque ſic aptabat, ut intuentium oculis imponeret. Cujus rei haud multo poſt certior factus Collegii Sanctorum Rector egregium paupertatis amorem admiratus eſt; ſtatimque de ſubuculis, quod opus erat, ei providendum curavit. In Collegio quoque S. Pauli integrum annum uſus eſt calceis, quorum ſoleæ ſic detritæ erant atque conſumptæ, ut ſuperſtantem alutam vix ſuſtinere poſſent, nec eos depoſuit, niſi coactus Rectoris imperio, qui, re comperta, nova illi calceamenta confici juſſit.

In rebus etiam vilioribus redundantiam fugitabat. Cum rei domeſticæ Curator Nicotiani pulveris cucullum indigenti obtuliſſet non plus ille accepit, quam ſatis eſſet ad implendam parvam pyxidem, qua utebatur viliſſima. Hortante vero præfato

Cu-

Curatore, ut totum apud ſe ſervaret: haud videtur, inquit, ſeveræ paupertatis legibus conſentaneum, ut tantam Nicotiani pulveris vim apud me retineam; accedam, quoties opus erit, tantundem accepturus, quantum modo accipio. Quandoque vero, inſtar mendiculi ſtipem oſtiatim colligentis, tantulum pulveris ex ſingulis aliorum pyxidibus in ſuam corrogabat; quam rem idcirco a ſe fieri cauſabatur, quod eam multiformis pulveris mixturam purgando cerebro utiliorem fore judicaret.

Adeo ab omni pecuniarum uſu abſtinuit, ut ne teruncium quidem apud ſe unquam retinuerit; imo ab ejuſmodi (uti appellabat) ſordium contrectatione penitus abhorrebat. Oblata illi non ſemel ab amicis involucra nummis referta conſtantiſſime rejecit. Olindam erat navigaturus, ut ibi philoſophiam traderet, cum ei pecuniam, qua ſelectos libros, ad eam, quam tractaturus erat, diſciplinam pertinentes coemeret, amicus quidam perliberaliter obtulit; at nullis precibus induci Correa potuit, eam ut acciperet; fruſtra igitur præſentem aggreſſus, eumdem amicus abſentem tentavit, effecitque, ut ad ipſum Olindæ jam degentem nummorum aureorum involucrum perveniret. Ille vero ſtatim ad Rectorem cu-

currit, apud quem pecuniam illam tamdiu depositam esse voluit, quoad opportuna se daret occasio eam ad ipsum, qui miserat, remittendi. Et quidem, cum primum potuit, ad amicum rescribens, eo molestissimo onere se levavit.

Ad Spiritus S. Collegium advenerat, cum accedens ad illum æthiops Collegii mancipium, decem teruncios stipis nomine ab eo petiit; risit ad æthiopis postulatum Correa, & joco (ut erat festivus) ain tu, inquit; decem teruncios tantummodo? rem nihili a me postulas: ego profecto tam vilia dare non soleo. Anceps Patris responsio postulanti animos addidit; alterum igitur tantum poposcit; at Patre nihilominus suadente, ne tam parcus in petendo esset, ad æris summam haud levem gradatim devenit. Tum vero Correa, ne ineptum postulatorem diutius luderet; frustra, inquit, fili a me, qui nummos in sordibus repono, pecuniæ quidquam expectes; quare si ejusmodi quisquiliis eges, *aliam excute quercum*: cras equidem, cum sacrum faciam, ero tui memor, tibique a Deo Optimo Maximo fausta omnia precabor; nempe aliam stipem erogare tibi non possum. Recessit æthiops subtristi vultu, reque inter domesticos servos pervulgata, ipsi Cor-

ream

ream deinceps non aliter appellare consue-
vere, quam Patrem pecuniæ contempto-
rem atque irrisorem.

Et sane ita nummos contempsit, atque
ab eorum usu alienus fuit, ut ne moneta-
rum quidem æstimationes nosceret; quod
sequens eventus satis declarat. In lecto e-
rat noster Collegii Fluminis Januarii Phar-
macopola; Rector Corream, qui tunc in eo
Collegio Theologiam audiebat, ad aliquot
dies locum ægrotantis pharmacopolæ sub-
stituit; evenit igitur, ut per eos dies, qui-
bus medicamentariæ officinæ præerat, qui-
dam e nostris accederet monetam nescio
quam permutaturus. Nummos igitur per-
mutandæ monetæ ex æquo responsuros com-
putare aggressus Correa, justo plures nume-
ravit, & adhuc numerare pergebat, nisi
alter cessare jussisset. Qua re ad Rectorem
delata, hominem ille nummorum æstimatio-
nes penitus ignorantem ab eo munere quam
primum amovit.

Ab accipiendis donis mira fuit absti-
nentia. Argentea sacrarum Reliquiarum
theca illum donare voluit D. Aloysius a S.
Theresia Olindensis Episcopus. At Correa
negavit posse se sine justo religionis metu
rem tanti pretii accipere & possidere; quip-

pe qui ſeveriſſimis paupertatis, quam Deo voverat, legibus teneretur. Et tantum abfuit, ut bono Præſuli offenſioni eſſet oblati à ſe doni repudiatio, ut potius hominis virtutem, quam ipſe jamdudum cognitam perſpectamque habebat, multo magis amaverit, ac pluris fecerit. Cupedias, ciboſque ſaccharo conditos, aliaque id genus gulæ irritamenta non ſemel ad ipſos, qui mittebant, reportari juſſit; eas tamen excuſationes adhibebat, ut omnem amicis offenſionis querimoniarumque anſam præcideret ac penitus tolleret. Quod ſi tanta eſſet eorum, qui mittebant, dignitas (crebro enim ab Archiepiſcopo, & Civitatis Primoribus mittebantur) ut miſſitata non poſſet non accipere, ea modo ad janitorem mendiculis nimirum ad Collegii noſtri limina ſtipis ergo confluentibus, modo ad valetudinarii Curatorem ægrotis diſtribuenda ſtatim deferebat. Uno librorum amore tenebatur; eos tamen ab amicis ultro offerentibus donatos non admittebat, commodatis vero ad tempus libenter utebatur.

CAP.

# CAPUT IX.

## *Ejus Pudicitia.*

Pulcherrimæ virtutum pudicitiæ tanta floruit laude, quanta florere decuit illustrem sanctissimi Aloysii Gonzagæ æmulatorem; certe quidem in hac parte exemplari suo Gonzagæ tam similis Correa fuit, ut Angelo quam homini similior esse videretur. Sic enim omni vitæ suæ tempore se gessit, ut omnem in eo libidinem non modo restinctam esse, sed prius etiam, quam effervescere atque erumpere posset, penitus elisam ac veluti præmortuam exaruisse diceres. Ex quo constanter creditur, pudicitiæ florem, quem ab ineunte adolescentia inviolabili voto Deo consecraverat, secum recentem atque illibatum ad sepulchrum detulisse.

Quamquam vero nullas in hoc genere intestinas pugnas sustinuisset, perinde tamen reformidabat, ac si iis esset maxime obnoxius, quam ob rem ad sensuum custodiam diligentissime advigilabat. Fœminarum non modo familiaritatem, sed ipsum etiam defugiebat aspectum, & nihil ægrius ferebat, quam earum domos adire.

 Quod-

Quodſi aliquando Moderatorum imperio ſocius eſſet alicujus e noſtris, qui matrem aut ſorores ſuas eſſet inviſurus, ſimulatque ad earum conſpectum veniebatur, humi defigebat oculos, & pene obmuteſcebat. Cum ad excipiendas fœminarum Confeſſiones advocabatur, id ſemper curavit, ut ſocius, cui quæ in ſacro illo Tribunali dicerentur, audire non licebat, ſaltem oculis præſens e regione adſtaret.

In evolvendis bonæ latinitatis ſcriptoribus haud mediocriter delectabatur; eos autem, qui obſcœnitatis quidquam redolerent, quamvis bene latinos atque elegantes, nunquam in manus ſumſit legendos.

Interiorem porro modeſtiam eximiumque pudicitiæ cultum atque amorem ſatis indicabat exterior ipſa corporis compoſitio, quæ certe quidem ad omnes regulas, quas S. Parens Ignatius de hac re nobis præſcripſit, exacta plane erat atque perfecta. Oculos nunquam conjecit in alienum vultum, ſed humi defixos ſemper habuit. In ipſis Romæ templis, quorum nobiliſſimas ſtructuras exquiſitumque nitorem & opulentiam advenæ omnes mirari ſatis non poſſunt, ipſe obtutu in terram dejecto divina tantum meditabatur, cætera negligebat

bat. Uno verbo ea erat totius corporis modeſtia virginalem in modum compoſita, ut ad virtutis amorem intuentes raperet.

## Caput X.

*Perpetuum affligandi corporis ſtudium.*

Quamquam nulla erat, ut ſupra obſervavimus, corporis a ratione defectio & contumacia, quam ſeveris afflictationibus perfringere oporteret, tanta nihilominus ſeveritate in corpus ſuum animadvertebat, quanta in rebelle flagitioſumque mancipium vix quisquam uteretur. Cætera enim prudentiſſimus in hac una re modum ſatis non tenuit; adeo ut vitæ ſibi per immoderatas corporis afflictationes cruciatusque accîſæ accuſaretur, id quod exemplari ſuo S. Aloyſio objectum quoque fuiſſe legimus. Quare non ſemel opus fuit authoritate atque imperio Moderatorum, qui nimiam hominis in ſe affligando aſperitatem coercerent.

In pavîmento calceatus, veſtitusque cubabat; nam præterquam, quod eum ſemper expergefactum ac genibus nixum ſummo mane reperiebant ii, quorum erat munus alios excitare, iidem obſervarunt

lectulum plerumque inſtratum eſſe libris, quos ipſe interdiu pervolutare ſolebat; ex quo facile conjiciebant, libros quidem in lectulo, Ccrream vero in pavimento pernoctaſſe. Præter conſuetos & ut ita dicam vulgares cruciatus, quibus in ſe quotidie ſæviebat, peculiaria pœnarum genera uſurpabat certis quibusdam diebus per annum recurrentibus, quos ipſe ſingulari religione tranſigebat. Iis enim diebus præter duplicatam verberationem, qua primo mane & nocte concubia ſeſe acriter cædebat, quodam induſii genere utebatur, equinis ſetis contexti, parvam crucem ligneam ferreis aculeis inſtructam ad pectus ſtricte annectebat; latera, lacertos & utrumque femur textilibus ex ferreo filo hamis tam arcte conſtringebat, ut ægre poſſet incedere.

Nunquam vero durius atque aſperius ſe affligtabat, quam die veneris ſanctioris hebdomadæ, quo die Chriſtus pro nobis mortem obeundo humanum genus ab interitu liberavit; totam enim ejus diei noctem ſine ſomno tranſigebat, & vel flexis genibus uſque ad inſequentis diei lucem perſtabat, admirabile humanæ liberationis myſterium contemplando, divinoque Servatori piis lachrymis parentando; vel ſi

qui-

quidem in lectum ſe dabat, in eum ante lapillos, ſpinas, aliaque id genus congerebat, quibus totam noctem ſe volutans, aſperrimum in modum corpus affligebat & cruciabat.

In cibatu ipſo appetitum mira induſtria domabat. Siquid apponerereretur exquiſitius conditum, vel primoribus, ut ajunt, labris delibatum relinquebat, vel frigida clam infuſa reddebat inſulſum. Quoties ſitiret (quod perſæpe fiebat, erat enim ſitientis fervidæque naturæ) id ſecum conſtituebat, ut ſitim uſque ad definitum temporis ſpatium toleraret, quo transacto, ſi fortaiſe bibendum eſſet, elapſo eo temporis ſpatio potum in aliam & aliam horam, ſenſum multiplici quaſi fraude ludificans, ita differebat, ut non ante ſitim, quam in communi cœnatione reſtingueret. Interdum vero ſitientibus aridiſque faucibus ex cyatho gelida pleno guttulam attingens ac ſorbens, a reliquo abſtinebat; atque ita ſitim potius irritabat, quam extinguebat.

Jam vero qui tanta cum diligentia omnes torquendi ſui occaſiones aucupabatur, ultro in ſinum delapſas quam libenter arriperet, perfacile unuſquiſque intelliget. Ei,

aliiſque noſtrûm eodem valetudinis incommodo laborantibus violarum decoctum Medicus præſcripſerat. Evenit igitur, ut incurius pharmacopolæ famulus ad conficiendum ejuſmodi decoctum vas æneum adhiberet imbutum ſucco valde amaro quarumdam herbarum, quæ in eo vaſe paulo ante fuerant percoctæ; unde violarum cocturæ amaritudo inhæſit omni felle pejor. Correa, qui primus omnium acceſſerat, amaram potionem, quaſi melle diluta fuiſſet, perlibenter haurit, & tacitus digreditur; reliqui vero eam ſimulatque deguſtarunt, reſpuentes, non minus Correæ virtutem quam famuli ſocordiam ac negligentiam prodidere.

Calceos, quibus utebatur valde detritos, ſutori reficiendos tradiderat: ſutor imperitus deterrima calceamenta multo deteriora reddidit, quippe juſto contractiora. Correa igitur præter ſpem ſibi objectam cruciandi ſui occaſionem libentiſſime amplexus eſt; atque, ut male decurtatis calceamentis pedes accommodaret, ipſos digitorum contractione quodammodo curtos reddere conatus eſt; ac tamdiu eum cruciatum pertulit, quoad nonnemo ex greſſu inſolitum in modum claudicante id, quod reipſa erat, ſuſpicatus rem ad Rectorem detu-

tulit, cujus imperio calceos veteres Correa deponere, novosque ad pedis modulum factos induere coactus est.

Alia id genus multa commemorare supersedeo; nam infinitus sim, si omnia complecti velim.

## CAPUT XI.

### *Ejus Submissio, suique Contemptio.*

Quam inflata & tumens veterum philosophorum ignoravit sapientia, divinus autem præceptor inter christianæ philosophiæ scita potiorem esse voluit, nosque ut eam a se discamus diserte monuit, animi submissionem in primariis Correæ virtutibus numeramus. Vir sane fuit major omni laude, quod nullam sibi tribuendam duxerit, tributamve admiserit; ita enim demisse de se rebusque suis opinari solebat, ut nunquam acrius vapularit ejus modestia, quam cum aliquam sui commendationem coram audiebat. Cum optimus quisque ingenii laude gloriaque ducatur, ille ingenium suum, quod præstantissimum quidem erat, adeo nihili fecit, ut non alia unquam nisi jumenti appellatione se dignaretur; tam enim fuit in se dicax, quam in alios comis atque officiosus.

Si-

Siquis e noſtris eum conſuleret de rebus ad virtutum religioſæque vitæ perfectionem ſpectantibus ( quod non raro eveniebat) ipſe ſui deprimendi & contemnendi cauſa jocum aliquem adhibere ſolebat: næ tu, ajebat, feſtivus es, qui hujus rei gratia me convenias: egregium ſane doctorem conſulis, me videlicet hominem in his rebus maxime tyronem ac rudem, planeque hoſpitem & peregrinum. Interim vero tanto ardore, tanta vi ac dicendi copia in id argumentum diſſerebat, ut perfectum abſolutumque in ea re præceptorem eum eſſe perſpicue appareret.

Cum aliquando de divino beneficio, quo ad religioſæ vitæ profeſſionem vocati ſumus, in familiari colloquio ſermo incidiſſet, Deo, inquit, Optimo Maximo gratias debeo immortales, quod in ſanctam hanc Societatem me vocaverit, & tamdiu in ea indignum ſuſtinuerit; fac enim me extra ſanctiſſimum Ordinem profanam vitam agere; quid me fieret homine ad cuncta liberalia prorſus inepto? fortaſſe hæreditate, ſiqua mihi obtingeret, flagitioſe dilapidata, vias publicas latrociniis infeſtarem, & vitam denique ex infelici arbore ſuſpenſus per ſummum dedecus amitterem.

Fa-

Factas sibi amplioribus verbis salutationes cum aliquo joco atque in se ipsum irrisione excipiebat : rem sane cachinnis dignam videri, se nihili homunculum tanto honore affici. Et ea quidem in se dicteria ex serio deprimendi sui studio profecta esse declarabant facta ipsa, quæ mirum in modum cum verbis congruebant. Infimum in rebus omnibus locum habere semper studuit. Vel cum maxime indigeret aliorum auxilio, ultro sibi delatam aliorum operam festiva gratiarum actione recusabat, nullumque obsequium præstari sibi patiebatur ; at nullam interim omittebat occasionem aliis obsequendi, singulos enim ex nostris tanquam sibi præpositos colebat ; infimum quemque sibi obvium multa honoris significatione prior ipse compellabat. Ipsis etiam rei domesticæ adjutoribus, nimirum ultimis Societatis hominibus, reverenter assurgere in more habuit, & lubentissime cum eisdem colloquebatur.

Jam vero qui infra omnes sese abjiciebat, erga illos, qui ei rite præficiebantur, quam demisse se gereret, facile quisque conjiciat. Coram suis moderatoribus astabat instar tyrunculi verborum parcissimus, ac ne oculos quidem attollens, eosque ita reverebatur, ac si in uno quoque Christum suspi-

ceret. Parem quoque in aliis erga Præsides obſervantiam ac ſubmiſſionem eſſe cupiebat.

Incredibile eſt, quam vehementer Ordinis magiſtratus, & quosvis publicos honores perhorreſceret. Avebat ille ſummopere ( ut ſupra diximus ) ſacris militibus, qui ad orientalem expeditionem profecturi Bahiæ colligebantur, adſcribi ; cum igitur neſcio quis bono eum animo eſſe juberet, fore ut ipſe delecto noſtrorum manipulo præfectus Goam navigaret : ardentioribus, inquit Correa, nihil votis expetivi, quam ut Xaveriani itineris atque laboris particeps fierem ; ſi vero id aliter obtinere non poſſem, niſi eo pacto, ut quodvis vel minimum imperii genus in fratres meos ſuſciperem, re ſane optatiſſima carere mallem, quam ullo modo illis præponi, quorum me infimum eſſe ſcio.

Hoc ipſum deprimendi ſui ſtudium efficiebat, ut hominum de ſe ipſo exiſtimationes ac judicia minoris quam teruncium aut pilum faceret. Ad Bahienſem, id eſt præſtantiorem ( ut in urbe primaria ) Philoſophiæ cathedram deſignatus fuerat. Pervulgata jam renuntiatione animadverſum fuit, in ea deſignatione errorem obtigis-

tigiſſe; Correæ enim, utpote aliis, qui eo-
demmet tempore ad idem Philoſophiam do-
cendi munus erant promovendi, juniori
non Bahienſis, ſed Olindenſis cathedra ve-
niebat. Ea res nonnihil commovebat P.
Simonem Marques Braſilicæ Provinciæ Mo-
deratorem, is enim jus unicuique ſuum in-
tegrum eſſe volebat, ex alia vero parte et-
ſi Correæ virtuti plurimum tribuebat, ve-
rebatur tamen, ne ipſe moleſte ferret, at-
que honori ſuo incommodum putaret, a
celebriore palæſtra removeri, ad quam pu-
blice renuntiatus erat Philoſophiæ Profeſ-
ſor. Poſtquam vero hominem ad ſe ac-
cerſivit, vanum fuiſſe timorem ſuum com-
perit; ſiquidem ille re ſibi denuntiata,
ingenue reſpondit, ſua nihil intereſſe Bahi-
ene Philoſophiam, an Olindæ traderet; in
id ſe unice intentum eſſe, ut Præſidum ſu-
orum juſſis obtemperaret, cætera minime
curare; quod tanta oris hilaritate ſignifi-
cavit, ut in animo præpoſiti Provincialis
multo majorem fecerit virtutis ſuæ opinio-
nem. Proceres, quorum gratiam & ami-
citiam nec ſtudioſe colebat, nec arte ulla
aut induſtria ſibi comparabat, eum frequen-
ter inviſentes perraro ipſe adibat, ajebat-
que, limina Optimatum terere ſibi non va-
care, nec id quidem valde decere virum

reli-

religiosum, id est pauperem, & ab omni humanarum rerum amplitudine suopte vitæ instituto alienum. Eum viri primarii, ut honestissimis ipsorum mensis conviva interesset, persæpe invitarunt, rogaruntque; obtinuere nunquam: hujus rei causa illi amicas aliquando insidias tetendit Olindensis Episcopus; at nihil profecit. Sacris initiandi erant quidam ex Correæ discipulis; interfuit ipse initiationi, quæ absoluta non fuit nisi sub horam prandio proximam. Cum igitur discessurus esset, circumstant eum famuli, quibus id negotii dederat Episcopus, & egressu prohibent, eique apud Præsulem eo die, velit nolit, prandendum esse denunciant. Hic ille precibus omnibus orare & obtestari, ut se apud suos pransum ire sinant. Inter hæc accedit Episcopus amicam & ipse vim obnitenti allaturus. Ubi autem eum vidit flexis genibus famulos orantem, ut abire sibi liceret, religiosam hominis modestiam ac submissionem admiratus, ei amplius molestus esse noluit, atque abeundi potestatem fecit.

Simile quiddam Bahiæ evenit apud D. Marcum de Norogna Brasiliæ Proregem, ad quem nescio cujus rei causa, hora prope meridiana Correa noster adierat; cum

um enim Prorex in frequenti Optimatum
rculo eum invitaret, atque adeo amicissi-
ne officiosissimeque cogeret, ut apud se eo
ie pranderet; paucis, inquit Correa, se-
reto te volo amplissime Dómine, eique
d aurem dixit, se de non prandendo domi
lienæ Deo votum fecisse. Instare non au-
us fuit Prorex, eumque ad Collegium no-
rum pransum ire sivit.

In vilissimis quibusque ministeriis ob-
undis, quasi tunc in regno suo esset, læ-
itia gestire & gaudio triumphare videba-
ur. Nihil erat illi potius atque antiquius,
uam mendiculorum, atque etiam domesti-
orum, quotiescunque aliquam ejus rei oc-
asionem nancisci posset, pedes lavare, &
mantissime osculari. Incidit aliquando in
ordidum mendiculum prolixa barba &
mpexa coma horridum; erga quem vili
bjectoque tonsoris officio summa animi sui
voluptate perfunctus est. Nùllos libentius,
quam æthiopes servos, peccata confitentes
udiebat; quo quidem hominum genere
uti nihil est abjectius, ita nihil magis he-
bes, rude & impolitum. Administratio-
nis nostræ Indorum pagos in ora maritima
positos invisendi inspiciendique munus ei
delegarat provinciæ Præses. Ea res ho-
mini de se humillime sentienti permolesta

accidit; parendum illi tamen fuit. Ex pagis Indi convenerant, & geſtatorium lectum ad eum vehendum paraverant, quod vehiculi genus in Braſilia eſt uſitatiſſimum; Correa vero totum iter bene longum atque incommodum pedibus confecit, nec ullis Indorum precibus adduci potuit, ut vacuum lectum tantiſper conſcenderet; quaſi abſurdum duceret, jumentum, ut ſe ipſe vocitabat, hominum utut viliſſimorum humeris geſtari.

Interrogatus aliquando, num interius ſanctiſſimi Parentis Ignatii Sacellum in Romana Profeſſorum domo adiiſſet, ad limen, inquit, jam acceſſi, illud reverenter oſculatus, pedem introferre auſus non ſum; nondum enim paratum me ſatis ac dignum exiſtimavi, qui locum adirem tot Cœlitum non ſemel aſpectabilium præſentia nobilem & myſteriorum religione maxime ſacrum ac venerandum.

Ad extremum, ut uno verbo dicam, ita chriſtianæ ſubmiſſioni ſuique deſpicientiæ ſtuduit, ut ſua & dicta, & facta & cogitata omnia ad hujusce virtutis normam regulamque exigeret.

CAP.

# CAPUT XII.

## *Ejus Prudentia & Justitia.*

Singularis in eo fuit, quæ cæterarum virtutum moderatrix est, prudentia. Hu-
is ductu negotia perdifficilia opportune tra-
avit, atque ad felicem exitum perduxit,
t non semel experti sunt præter alios
rchiepiscopus Bahiensis, & Olindenses E-
iscopi duo, quibus ille magno usui fuit
n expediendis conficiendisque difficilibus
egotiis, ad ipsorum curam & ad publi-
um bonum pertinentibus. Tum vero ad
ydium quasi lapidem explorata fuit atque
robata hominis prudentia, cum Olinden-
s Episcopus, ut alibi diximus, religioso-
um Ordinum homines, qui Sacris initian-
i essent, publicam de scientia necessaria
ericlitationem subire voluit ac jussit, quod
ntea minus fuerat usitatum; fremebant illi
cilicet in Episcopum, qui judicis partes
Correæ nostro detulit. Is invidiosum mu-
ius a se frustra deprecatus, in eo exequen-
lo ita se gessit, ut magnum inde plausum eli-
uerit, unde non levis invidia eruptura pu-
abatur; nam illustris cujusdam religiosæ
amiliæ alumnos, qui primi accesserunt, ea
comitate ac modestia excepit, ut tyrun-

 culi

culi potius Magiſtros ſuos interrogantis, quam Magiſtri eorum ſcientiam periclitantis perſonam ſuſtinere videretur; qua quidem humanitate atque prudentia mirum in modum eorum hominum animos ſibi Societatique devinxit.

Ad res bene gerendas humana præſidia, quæ poſſet, adhibebat omnia, præcipue vero pro felici rerum agendarum exitu ad Deum confugiebat, atque ex hoc fonte hauriebat ſapientiſſima illa monita & conſilia, quibus multos mortales adjuvit.

Jam vero juſtitiam in primis amavit & coluit, & quamvis ab accepti expenſique rationibus penitus alienus, vix commutantis, ut appellant, juſtitiæ materiam cognoverit, in dandis tamen, quæ ſæpenumero rogabatur, conſiliis ei virtuti plurimum eſt obſecutus; nihil enim curabat impenſius quam ut jus ſuum cuique integrum eſſet; quapropter omni ſive placendi ſtudio ſive diſplicendi metu vacuus libere & aperte pronuntiabat, quidquid ſentiret, & æquitas cauſæ poſtularet. Et quoniam fortunis omnibus potiora eſſe norat famæ bona, omni ope nitebatur, ne quis in eo genere injuriam acciperet. Quare, cum eſſet Theologiæ Profeſſor, in ferendis ſuffragiis pro no-

ſtris

tris, qui ad gradum in Societate obtinendum probandi erant, ad benigniorem partem, quoad ejus facere poſſet, ac per Inſtituti leges ſibi liceret, inclinabat ac propendebat.

Hic ipſe, quo juſtitiam proſequebatur, amor effecit, ut non modo ipſe nemini mortalium vel leviſſime obtrectarit, verum ne paſſus quidem ſit unquam alios in alicujus abſentis famam invehi, quin ipſe obtrectantes continuo refutaret injuriamque elideret.

## CAPUT XIII.

### *Ejus Fortitudo, & Temperantia.*

Mortalia cuncta eo loco ſemper habuit, ut eorum mutatione ac viciſſitudine nihil commoveretur, non minus in adverſis quam in ſecundis rebus mirabilem in modum tranquillus. Ut autem prætermittam incredibilem ejus fortitudinem in tolerandis perpetiendiſque æquo animo ærumnis, quæcumque ipſi privatim accidiſſent, nihil ejus conſtantiam atque invicti excelſique animi magnitudinem ac robur æque declaravit, atque terribilis illa per univerſam, quæ Fideliſſimo Regi paret, ditionem in nos ex-

citata tempeſtas. Nam qui paulo ante ho-
neſti homines, probique ac Reipublicæ uti-
les opinione omnium habebamur, quaſi peſ-
ſimi repente fieri potuiſſemus, publicis edi-
ctis mortalium omnium conſceleratiſſimi,
perduelles, parricidæ, Patriæ ac Reipubli-
cæ peſtis nominabamur. Nec mitiora dictis
facta pertulimus, vincula, carceres, bono-
rum proſcriptiones, exilia, quæ multo erant
acerbiora toleratu, (*Vide Animadverſionem
VI.*) quod hæc omnia fiebant opera unius
hominis, quem nulla injuria Societas af-
fecerat, multis beneficiis ornarat; cuique
eam ipſam gratiam, qua ipſe apud opti-
mum Regem plurimum valebat, & incre-
dibilem in modum abutebatur, iidem Jeſu-
itæ conciliaverant, decepti nimirum doloſo
ejus ſermone; ante enim quam Regis gra-
tiam eſſet conſecutus, ſic apud Jeſuitas lo-
qui ſolebat, ut, ſi publicis rebus gerendis
præficeretur, egregius Regni Adminiſter
futurus eſſe videretur; quia igitur, quod
virum bonum atque honeſtum facere opor-
tebat, id ille loquebatur, crediderunt eum,
qui bonorum orationem imitaretur, facta
quoque imitaturum.

Sed alia omnia ille animo coquebat;
nec publicam felicitatem quærebat, ſed ſu-
am ipſius privatam; nec aliud quidquam
cura-

curavit, ac ſtuduit, ( *Vide Animadverſionem VII.* ) quam ex tenui fortuna & paupertate, in qua natus atque educatus fuerat, ad ſummos honores, ad magnificos titulos, ad immenſas opes emergere, quod quidem ( ſi vera eſt fama ) perfecit horribili civium cæde, impudentiſſimo regii ærarii peculatu, perpetuis in privatos rapinis, profanorum æque atque ſacrorum bonorum direptione. *Vide Animadverſionem VIII.*

Itaque ( ut eo revertamur, unde digreſſi ſumus ) edicta, quæ iſte furioſus ad arbitrium ſuum conficiebat, famam noſtram atrociſſime lacerabant. Erant illa quidem tam apertis mendaciis, tam inſulſis calumniis coagmentata, ut hominem, qui aliquid ſaperet, fallere poſſent neminem; imo ipſa eorum inſulſitas ab unoquoque prudentum Luſitanorum domi ridebatur; imperitæ tamen multitudini ac minuto populo imponebant. Hujusmodi autem falſas confictasque criminationes duriſſima, qualia paulo ante dixi, facta conſequebantur. Noſtris igitur ex re inopinata in magnam conſternationem adductis, Correa earum rerum, quas perferre cogebamur, indignitate nihil commotus, tranquilla & ſerena fronte videbat armatam militum manum, ac forenſe miniſterium in Collegium noſtrum irrue-

re, & profana omnia ſacraque miſcere, & trepidantes ſocios mira ſuavitate erigebat, ac ſolabatur. Authoritate minime legitima noſtris offerebatur a militia Societatis dimiſſio, imo crebris & importunis inſtigationibus ſuadebatur, ut a Societate deſciſcerent, & ( quæ erat temporum iniquitas, ne quid gravius dicam ) terribiles proponebantur minæ, & graviſſimæ iis pœnæ denunciabantur, qui alios a Societatis defectione dehortarentur, Et quidem in hac re luculentum ſuæ erga Carvalium obſervantiæ ſpecimen dedit D. Fr. Antonius de Deſterro Fluminis Januarii Epiſcopus, qui memorando inſipientiæ exemplo Sacrorum interdictionem, quam *latæ ſententiæ* vocant, ſenioribus denuntiavit, qui juniores a deſerenda, quam profitebantur, Societatis militia dehortari auderent. Atque hujusce delicti nomine e Societatis Collegio removit PP. Chriſtophorum Corderium, Franciſcum da Silveira aliosque, & in arcem vicinæ inſulæ relegavit. Ea ſcilicet gratia referebatur ſanctiſſimo Inſtituto de Luſitanis optime merito. Correa vero nullis minis pœnisve deterritus juniores, ne Societatem deſererent, omni ope confirmare perrexit, multique eo auctore honeſtum exilium, quod innocentes, & nullo noſtro me-

merito, ſubibamus, turpi defectioni antepoſuerunt.

Nec minor, quam fortitudo, fuit ejus temperantia. Hæc virtus quæ omnium cupiditatum moderatrix eſt, in omnibus ejus actionibus eluxit. Non modo pravas cupiditates ſeveriſſime coercuit, planeque perdomuit, verum ab innocuis etiam deliciis, & a rebus quibusvis, quæ voluptatem aliquam licet innocentem afferre poſſent, penitus ſe abſtinuit. Nullo modo, ne ſaluberioris quidem auræ captandæ gratia, induci potuit, ut in Romæ villas exiret, quarum magnificentiam & amœnitatem advenæ ſatis mirari non poſſunt. Jam vero mira fuit ejus in cibatu frugalitas ac parſimonia; ajebat, ſarcinario jumento præter victum neceſſarium, eumque parce reſtricteque dimenſum, nihil amplius indulgendum eſſe. Interdum vero ipſe ne reficiendis quidem viribus neceſſaria ſibi indulgebat. Præter modum in ſe auſterus, etiam cum per valetudinem ſolutus erat jejunii lege, in ſacro quadraginta dierum jejunio & eſurialibus quibusque feriis cœnare nunquam eſt auſus. In ſumendo cibo non modo ſaturitatem verum etiam condimenta fugiebat; quare ſiquid eſſet appoſitum, quod palato jucundius blandiretur, ejus ſaporem depra-

vabat aqua infuſa, vel ſale injecto; quod tamen adeo caute factitare ſolebat, ut vix obſervari poſſet.

## Caput XIV.

*Mira quædam, vel miris certe affinia.*

Quamquam vera ſanctimonia non quidem patratis ſupra naturæ vires miraculis, ſed una chriſtianarum virtutum perfectione continetur, quibusdam tamen, quæ humanas vires ſuperare videntur, ſignis non caruit Correæ virtus, quam Deus his quoque illuſtrem eſſe voluit. Pauca in hoc genere attingemus, quorum tantum ad nos notitia pervenit; reliqua, ſiqua fuerunt, ipſe quam diligentiſſime occultavit. Memoriæ prodidit Sacerdos e noſtris antiquæ vir probitatis, ſe cum Sacro intereſſet, quod in privato Sacello Correa faciebat, non ſine ſacro quodam horrore vidiſſe ejus caput inſolito ſplendore inſigniter colluſtratum; veritum autem ne vana fortaſſe oculos ſpecies eluderet, rem attentius iterum atque iterum exploraſſe, eamque liquido comprobatam habuiſſe manifeſtiſſimis radiis ex ejus capite uſque ad divinæ Hoſtiæ conſumptionem emicantibus.

Alia

Alia quoque ad Aram faciens a Deo accepit beneficia. Ei, quod febri laboraret, ſanguinis detractionem medicus præſcripſerat. Ille tamen impetravit, ut res tamdiu differretur, quoad ipſe divinam Hoſtiam offerret; peracto ſacrificio, ſi opus eſſet, venam inciderent: cum vero divina re facta, rediiſſet, explorato arteriæ motu, nullum febris indicium erat reliquum. Id autem non ſemel eveniſſe perhibetur.

Nec ſibi dumtaxat, verum etiam aliis, miram a Deo ſanitatem obtinuit. Noſtrorum quidam non obſcuris argumentis edoctus, quantum præſidii eſſet in Correæ precibus, præſentius ab illis, quam a Medicorum induſtria remedium quærere conſtituit permoleſtæ febri, qua diu multumque afflictabatur. Corream igitur, cum ad faciendum ſacrum iret, ad ſe arceſſit, & quid velit eum docet. Ægrotum ille peramanter ſolatus, bono animo eſſe jubet, inde ad templum rem divinam facturus perrexit, atque eo operante febris paulatim remittere, peracto autem ſacrificio penitus evanuit.

Poſito Societatis tyrocinio, humanioribus litteris operam dabat in Collegio Bahienſi Antonius Franciſcus, chariſſimus P. Cor-

Correæ juvenis, qui ſancta ejuſdem conſuetudine ac ſermonibus inflammatus ſummo ineundæ Societatis ſtudio flagrarat, ac perrupto demum non levium impedimentorum aggere, nobis fuerat adſcriptus, fruſtra obnitentibus conſanguineis. Is juvenis ex pectore laborabat, & vehementiſſimis doloribus conficiebatur; nec medicinæ ſubſidia, quæ multa fuerant adhibita, quicquam profecerant. Correa igitur, ubi in medicorum arte nihil opis eſſe intellexit, pro charo ægroto majorem in modum ſollicitus ad preces confugit, quibus exquiſitas corporis afflictationes adjungebat; & quidem ſanitas brevi conſecuta non medicis potionibus, a quibus ut inutilibus jam pridem æger abſtinuerat, ſed unis Correæ precibus plane tribuenda fuit. Convaluit igitur ægrotus, atque ita in poſterum confirmatus eſt, ut ad litterarum ſtudia toto pectore incumbens, nunquam amplius ejus generis morbo tentatus ſit.

Hic idem juvenis multos ante initam Societatem annos peracerbos capitis dolores pertulit, qui in Societatem jam cooptatum eodem modo torquere perſeverabant; quamobrem inceſſit eum timor, atque ille quidem non vanus, ne re cognita e Societate dimitteretur, vel ſaltem ad ejus miniſte-

nifteria prorfus inutilis evaderet. Eadem Corream angebat cura; nihilominus Bahiam proficifcentem, ut ibi tyronibus noftris adjunctus religiofæ militiæ rudimenta capeffeSSeret, fausta omnia fperare jubet: nihil a fe diligentius curandum, quam ut, interposito S. Aloyfii Gonzagæ patrocinio, non intermiffis apud Deum precibus præfens diuturno ac permolefto malo remedium maturet.

Itaque tyrone Bahiam folvente, Correa promiffi fui memor omnes fuperos, præfertim vero S. Aloyfium, in optatæ valetudinis patronos accire, & pia pro rei fucceffu vota nuncupare non defiftebat. Eos dolores, qui tyronem cruciabant, ex ejus capite in fuum transferri cupiebat, idque ut fieret, enixe quadam nocte Deum orabat; cum repente orantis caput infolito quodam quafi pondere primum opprimi, tum vehementi dolore cruciari cæptum eft, adeo ut a theologiæ ftudiis, quibus tunc operam dabat, ei pene ceffandum fuerit. Eodem temporis puncto, quo id Correæ in Collegio Fluminis Januarii commoranti accidit, tyro Bahiæ degens relevari fe fenfit, & ex inveterato illo malo plane perfecteque convaluit, hodieque Romæ vivit beneficii memor. Correa vero totos undeviginti annos, quod

quod illi reliquum vitæ fuit, crucem illam ſuſtinuit, qua interdum tam vehementer afficiebatur, ut vir alioquin patientiſſimus, cui nulla ne in ſummis quidem laboribus queribunda vox excidebat, aliquando fateretur, ſibi vix virium ſupereſſe ad eos dolores tolerandos. Cum autem Romæ ultimo morbo oppreſſus in lecto decumberet, quaſi vicinæ mortis nuntium accepit improviſam ab ea capitis moleſtia liberationem: nam pridie ejus diei, quo die migravit e vita, valetudinarii præfectum ad ſe arceſſivit, eique repentinam dolorum capitis intermiſſionem, et, quid illa reliquo corpore fatiſcente portenderet, ingenti lætitia perfuſus ſignificavit.

Illud quoque miraculo affine eſſe videtur, quod ei accidiſſe perhibent in Jiquitaenſi Probationis domo, cum annum tertium inter tyrones de more poneret. Memoriæ enim prodidit P. Joſephus de Mendoſa, excellenti vir probitate, ejus domus per id temporis Rector, ſe, cum in P. Correæ cubiculum introiſſet, peregrinam aviculam, eamque pulcherrimam, in ejus humeros & caput feſtive ſaltitantem non ſemel vidiſſe, quod idem Mendoſa notæ hominis manſuetudini, & miræ, qua præditus erat, innocentiæ tribuebat.

Mi-

Mirabilius quiddam Bahiæ ei accidiſſe fertur. Nonnemo, vir honeſto loco natus, in magno ære alieno erat. Eum creditor de nomine appellarat, carcerem minitatus, niſi ad dictam diem æs diſſolveret. Homo magna rei familiaris anguſtia laborans ſolvendo non erat; in carcerem vero detrudi turpe atque indignum exiſtimabat. Quam ob rem tantus eum mœror inceſſit atque animi ægritudo, ut in furorem actus morte ac ſuſpendio miſeriæ ſuæ remedium quærere conſtituerit; funem igitur deſperatus arripuit, & inſanum conſilium perfecturus in ſuburbanum nemus ſe conferebat. Cum autem eo contendens Collegium noſtrum prætergrederetur, occulto quodam inſtinctu impelli ſe ſenſit, ut introiret; impulſum tamen illum contemnens ire pergebat; iterum vero & multo acrius urgente intima illa voce, qua Collegium adire jubebatur, ei demum paruit, & Collegium ingreſſus eſt. Correa perinde, acſi totius rei, quæ fiebat, gnarus eſſet, præſto aderat & ad limen opperiebatur; quod præter ejus morem omnino accidit, nam ad id loci, niſi per janitorem accitus, non accedebat. Hominem igitur conſpicatus incerto ſuſpenſoque gradu pavitantem, omnia ſollicite circumſpicientem, & internis furi-

furiis, ut vultus ipſe indicabat, agitatum amice compellat, & humaniſſime rogat, quid rei velit? quid eum ita commotum ac ſollicitum habeat? ſe, ſiquo modo poſſet, operam ſuam ei libenter præſtiturum. Molliſſima verba homini deſperato ſaniorem mentem injecerunt, quem vim lachrymarum profundentem Correa ſolatus, cum eo in interius domi Sacellum ſe infert, ubi miſer funem oſtendit, & quid porro moliretur, atque inſani conſilii cauſam docet. Hic Pater gravi exhortatione ad meditati ſceleris pœnitentiam adductum bene ſperare juſſit; fore enim, ut brevi poſt tempore haberet, unde ſatis creditori faceret. Ex his Correæ verbis inſulſe conjecerat homo ſimplex, incidiſſe ſe in Jeſuitam bene nummatum (qui vulgi error eſt ineptiſſimus) a quo debitum perſolveret; quare pro ea munificentia Patri gratias agebat: tum ille ad ſtultam hominis opinionem ſubridens: longe, inquit, falleris, qui a me pecuniam expectaſti; citius enim a pumice fontem ſperes, quam nummos a viro religioſo; quippe jurati Chriſto pauperes peculio abhorremus: fidenter nihilominus domum redi; vanum carceris timorem abjice: ſuppeditandum a Deo Optimo Maximo, quantum pecuniæ ad ſolutionem opus ſit; certiſſi-

issime tibi polliceor. Tam asseveranter af-
irmata pollicitatio afflictum erexit, & spei
onæ plenum domum misit. Interea Cor-
eà, quidquid cælitum est, ad liberandam
romissorum fidem enixissime invocante, ad
olvendam pecuniam dicta dies illuxit. Cum
ero suppetias veniret nemo, & lictores
am adessent, ut in vincula debitorem abdu-
erent, rursus hic furiis agitari, optare ite-
um sibi laqueum, imo & vati suo omnem
nalam crucem imprecari. Interim Deus
amuli sui promissa confirmabat, & ejusdem
aticinium ratum habebat; parum enim mo-
ræ intercessit, cum homini quiritanti at-
que omnino desperanti promissum subsidi-
um propterea que animum despondenti vir
adfuit ignota facie, qui querimoniarum cau-
sam edoctus benigna manu tantum pecuniæ
numeravit, quantum ad solvendum debitum
opus erat.

Homo igitur ære alieno liberatus, ut
Correæ gratias ageret, omnibus lætitiis ge-
stiens ad Collegium nostrum redit; at quo
eum per janitorem ad se acciret, Patris no-
men ignorabat. Correa enim latere cupi-
ens, cum ante a discedente rogatus fuisset,
ut nomen suum ederet, obfirmate abnue-
rat, confirmans occursum se eidem, cum
reverteretur; imo & locum condixerat:

K nec

nec promiſſum fefellit, redeuntem enim nullo humano indicio ante admonitus jam præſtolabatur in condicto loco. Ea res magnam homini admirationem injecit, qui cum pro accepto beneficio Correæ gratias agere cœpiſſet, ab eodem commonitus fuit, uni Deo beneficii autori gratiarum actionem deberi; diligenter in poſterum caveret, ne ullo modo amantiſſimum Dominum offenderet. Quo factum eſt, ut ille paulo poſt ad Corream rediret, apud quem generali confeſſione totius anteactæ vitæ peccata depoſuit, & piam vivendi rationem exinde inſtituit.

Et hæc quidem ab eo inter mortales adhuc degente perpetrata; longe mirabilior eſt eventus paulo poſt ejus e vita diceſſum confectus. Emmanuel a Silva noſtrorum valetudinariò præpoſitus, tertio ab obitu P. Correæ menſe ruptis membranis inteſtina ſibi deſcendiſſe ſenſit; jamque de accurranda ferrea ligatura cogitabat. Itaque mœſtus & inopinata calamitate perculſus nihil præſentius fore putavit, quam ad P. Correæ patrocinium tutelamque confugere; ejus enim, dum in vivis degeret, quanti apud Deum preces eſſent, multis argumentis cognoverat; quare longe pluris futuras arbitrabatur, quas idem beata jam,

uti

ıti credere fas eſt, patria donatus interpo-
ıeret. Ea cogitatione impulſus: Venerabi-
is, inquit, Pater, ſi æterna, ut mihi cer-
iſſime perſuadeo, felicitate perfrueris, mi-
ſertus calamitatis meæ opem mihi a Deo
mpetra. Conſequenti die poſtulatum ite-
ravit, & vix ejus diei nox interceſſit, cum
ſe perfecte convaluiſſe reperit, adeo ut nul-
lum præteriti mali veſtigium appareret.
Cum vero haud multo poſt cœpiſſet in du-
bium vocare, utrum reipſa P. Correa miræ
incolumitatis auctor ſuis apud Deum preci-
bus extitiſſet, an id aliunde obveniſſet,
ſimulatque hominem inceſſit ea dubitatio,
ſolutis denuo membranis priſtina calamitate
repente correptus vehementius afflictari
cruciarique doloribus cæptus eſt; ac tan-
dem damno ſuo de autore accepti ante be-
neficii certior eſt factus, quod in pœnam
hæſitationis revocatum fuiſſe animadvertens
ex animo reſipuit, & majori contentione
Correæ opem auxiliumque implorans mi-
ram iterum ſanitatem eſt conſecutus.

## CAPUT XV.

*Nonnullæ ejuſdem Vaticationes, & mirabilis rerum occultarum notitia.*

Illud quoque communiter perſuaſum eſt, eum quædam vaticinatum fuiſſe, quæ ut

ipſe prædixerat, ita evenerunt. In primis ſuam ipſius mortem non obſcure præſagiit, ejuſque rei notitiam ſecundo, poſtquam Romam pervenerat, menſe in Templo Societatis Profeſſæ divinitus hauſtam habuiſſe creditur. Cum enim ad aram Angelorum diu multumque precando inſtitiſſet, inſolitum præ ſe gaudium ferens ad ſocium ſuum Emmanuelem a Silva, qui eum opperiebatur, reverſus eſt, eidemque verbis minime ambiguis ſignificavit, brevi ſe Romæ moriturum, & prope eamdem Angelorum aram humandum, id quod paulo poſt evenit. Porro ex eo die nihil tam habuit perſuaſum, quam certo moriendum ſibi eſſe, cum primum morbo aliquo affectus in valetudinarium ſe reciperet. Quapropter, cum per id temporis valetudo, qua parum firma utebatur, deteriore quam ſolebat quandoque loco eſſet, monente ægrotantium curatore, ut ad locum procurandis ægrotis deſignatum deduci ſe ſineret, ipſe præſertim morbum feſtivis, uti ſolebat, verbis elevans affirmabat, eum tanti non eſſe, ut in communi valetudinario curari oporteret; iturum ſe libenter cum mali gravitas id exigeret; & tunc certe ad cubiculum ſuum nunquam deinde rediturum. Haud vanam prædictionem fuiſſe, brevi apparuit; cum valetudinarium mortiferi morbi vi correptus,

tus, inde nunquam reverſurus, ingreſſus eſt. Jam vero in lecto decumbentem etiam quo die obiturus eſſet, S. Aloyſio internuncio, præſciſſe, compertum eſt.

Eadem vis cœleſtis, quæ lecto affixum de imminenti morte certiorem reddidit, multa quoque ad alios pertinentia ejus menti objiciebat. Domeſticorum nonnulli ægrum inviſerant, cum igitur inter colloquendum ſermo incidiſſet de communi morbo, qui fere omnes illius domus incolas opprimebat, enumeratis admodum paucis, qui ea calamitate immunes erant, in iis nominatus fuit quidam ex junioribus, qui omnium optime valebat; tum Correa: iſte, inquit, in præſentia belle quidem habet, at vereor, ut bona ejus valetudo diu permanſura ſit; nihilominus bono ſit animo: convaleſcet. Vera eum prædixiſſe, inſequens lux oſtendit; nam is juvenis, de quo erat ſermo, vehementiſſima febri correptus fuit, & ad extrema prope adductus; ſed paulo poſt convaluit.

Sacerdos item e noſtris ad ejus extremum decumbentis lectum acceſſerat, enixe rogans, ut ſuis apud Deum precibus rei neſcio cujus ſucceſſum urgeret. Correa (qua erat animi ſubmiſſione atque mode-

 ſtia)

ſtia) quæcunque aliis a Deo impetraſſet, S. Aloyſii patrocinio ſolitus adſcribere, ſe cauſam patrono ſuo Aloyſio commendaturum reſpondit. Poſtera die accito ad ſe Sacerdoti eum optati ſui brevi compotem futurum denuntiat; resque, uti Correa prænuntiarat, intra biduum ſucceſſit. Unum hic obiter & quaſi præteriens attingam, quod miram ejus in religioſa diſciplina & legum noſtrarum cuſtodia promovenda curam, ſtudiumque declarat. Vix annuntiarat commemorato Sacerdoti felicem rei ab ipſo poſtulatæ exitum, cum vultu ad ſeveritatem compoſito, ne in divinum Numen ingratus eſſe pergeret, hominem graviter commonuit; & noxæ cujusdam, quam ipſe, utpote ſuo judicio minime gravem, corrigere negligebat, ſevere coarguit, ab e qu ut in poſterum ſibi caveret, ſerio eſt adhortatus.

Multa præterea ſunt argumento, eum miram tum occultarum, tum futurarum rerum notitiam habuiſſe. Quidam e junioribus Societatem deſerere ſtatutum in animo & deliberatum habebat; nemini mortalium inſanum conſilium aperuerat, ſed ejus perficiendi viam ac modum ſecum ipſe quam occultiſſime reputabat; de ejus tamen mente Correa celari non potuit; quare illi ex indu-

industria obvium se dedit, & arrepta colloquendi ansa, quasi aliud agens, ad ea, quæ juvenis animo moliebatur, sermonem sensim deflexit, atque in eam rem perinde disseruit, acsi intimam juvenis conscientiam introspiceret, & arcanarum ejus cogitationum seriem ante oculos haberet. Tanti profecto ponderis fuerunt rationes ab eo prolatæ, ut his absterritus adolescens ab incœpto destiterit.

Alius quoque, quem ipse a proposito deserendæ Societatis ante deduxerat, defectionem iterum machinabatur, eratque propediem dimittendus, & profanus ei vestitus jam conficiebatur, quocum religiosam vestem esset commutaturus. Id ubi rescivit P. Correa, in Sacellum se abdidit, nec multo post hilariori fronte rediens asseveranter affirmavit, fore ut ille juvenis tum quoque resipisceret, & nobiscum maneret. Atque hujus prædictionis veritatem eventus ipse confirmavit.

Alius volubilis ingenii adolescens, cum universam Societatem Lusitanam furiosus turbo involveret, qua regiorum administrorum suasionibus, qua suamet inconstantia inductus sacram vestem deposuit, & ab Ordinis nostri militia Institutoque desci-

 vit.

vit. Agebantur hæc in urbe S. Sebaſtia-
ni; Correa vero Bahiæ tunc degebat, quæ
urbs amplius quingenta millia paſſuum ab
urbe S. Sebaſtiani diſtat. Cum igitur in
ſermone familiari, facta de eo quem dixi
juvene mentione, dubitatum fuiſſet, utrum
Societatem deſeruiſſet, an in ſtatione ſua
conſtanter manere perſeveraſſet; defecit,
inquit Correa, defecit. Ex litteris vero,
quæ multo poſt tempore Bahiam perlatæ
fuerunt, eum vera dixiſſe, liquido conſti-
tit.

Emmanuel Vieira non mediocri pie-
tate juvenis, & Patri Correæ, quo ipſe ad
conſequendam religioſarum virtutum per-
fectionem magiſtro ac ductore utebatur, ap-
prime charus, cum in Corream a Sacello,
in quo Sacrum fecerat, ad cubiculum ſu-
um ſe recipientem incidiſſet, cœleſtem
quamdam in ejus vultu hilaritatem ſingu-
lari modeſtia temperatam admiratus, hanc
intra ſe ipſum cogitationem habuit: is Pa-
ter ſemper quidem inſigni ſanctitate fuit,
ſed hic Romæ longe ſanctior mihi videtur
eſſe, quam in Braſilia fuiſſet; & ſtatim ad
eum convertens ſe Correa: falleris, inquit,
mi Vieira falleris; utinam Correa melior
hic factus eſſet, quam ante fuiſſet! ſed me
miſerum! Correa hic Romæ nihil differt

ab

ab eo, qui ante fuerat in Brafilia. Obftupuit Vieira, & quam plurimi faciebat, multo pluris exinde fecit hominis fanctimoniam interna etiam aliorum cogitata introfpicientis.

Antonius Francifcus, de quo ante mentionem fecimus, opera P. Correæ in Societatem cooptatus, nihil proficientibus confanguineorum machinis, quæ multæ ad deterrendum ab eo propofito adolefcentem adhibitæ fuerunt, Bahiam ad noftrorum tyrocinium erat profecturus, & in animo habebat fecum abducere germanum fratrem natu minorem Francifcum Emmanuelem, qui ftudiorum caufa in urbe S. Sebaftiani commorabatur, & pariter ineundæ Societatis defiderio flagrabat, ut fcilicet in feminario noftro inftitueretur, & a confanguineis remotus facilius voti fui compos fieri poffet. Re tamen cum P. Correa communicata, is omnino negavit, id neceffarium effe factu; nam frater tuus, inquit, alio quam tu venifti ad nos modo veniet. Obfcura refponfio biennio poft probe intellecta fuit, utriufque enim patre vita functo, verebatur Francifcus Emmanuel, ne ea res majori effet impedimento, quominus ipfe in Societatem recipi poffet; nam vidua mater vehementiori conatu ftudioque actura

credebatur, ut ab ingressu Societatis filium
prohiberet. At longe aliter se res habuit;
tantum enim absuit; ut pia matrona fili
votis obstiterit, ut potius ipsi ad Christ
vexilla se conferendi, fausta omnia eidem
precans, lubentissime potestatem fecerit.

In procinctu erat navis, qua in In-
diam Orientalem trajecturus erat ille ipse,
de quo sæpe commemoratum est, Antonius
Franciscus; Corream is rogarat, ut feli-
cem periculosæ navigationis exitum Deo
commendaret; paulo post ab eodem inter-
rogatus Correa, num postulata fecisset, &
quid de navigationis cursu eventuque sen-
tiret; pone, inquit, omnem sollicitudinem
ac timorem: Goam incolumis appelles, at
non sine laboribus atque ærumnis. Itaque
e Bahiæ portu Orientem versus solverunt
nostri; initio quidem leni vento prosperum
cursum tenuerunt; non ita vero in navi-
gationis progressu; immanibus enim pro-
cellis agitati, omni consumpto commeatu
Mozambicum petere coacti sunt; ubi refi-
ciendis vectoribus diu subsistendum fuit.
Hic febribus aliisque morborum incommo-
dis menses circiter quinque laboravit An-
tonius Franciscus, at Patris Correæ vati-
cinio fretus sociis pro eo graviter ægrotan-
te non parum sollicitis & triste aliquid
omi-

minantibus alacriter suadebat, ut nihil sibi imerent, sine dubio fore, ut ipse Goam ncolumis attingeret; & res quidem, uti P. Correa prædixerat, ita evenit; nam cum non pauci ex vectoribus interiissent, nostrorum manus ad optatum portum incolumis pervenit. De felici vero ejus navis ad Goanum ostium appulsu Corream certiorem factum divinitus fuisse, id quoque, quod adjiciam, satis comprobavit.

Non multo postquam ex Bahiensi portu navis discesserat, funestus rumor tota urbe percrebuit, eam naufragio periisse; cujus infortunii indices tabulas, & alias id genus reliquias ad vicina littora rejectas esse vulgo ferebatur. Hujusmodi calamitatis notitia populari sermone pervulgata majorem in modum commovebat ac perturbabat Goanum Procuratorem, P. Archangelum Durognisium, qui delectam Bahiæ Sociorum manum ei navi commiserat. In hominem ea cogitatione magnopere perturbatum atque sollicitum forte incidit P. Correa, ab eoque interrogatus, ecquid sibi de sparso per urbem rumore videretur, asseveranter ac sine ulla cunctatione respondit, merum vulgi commentum esse, longam quidem atque ærumnosam futuram navigationem, navem autem ad Goæ portum, nullo nostrorum desíde-

ſiderato, perventuram. Concepta jam pri
dem de Correæ ſanctimonia opinio omnem
metum ac ſollicitudinem ex animo Procu
ratoris depulit ; & ipſe poſtea rei eventu
fidem vaticinio fecit.

Antonius de Coſta Franco una cum fi
lio Antonio Franco, decenni vix tum pue
ro, Corream inviſerat, cum is Olindam ad-
venit philoſophiam traditurus, quos ille
humaniſſime excepit, & ad puerum conver-
ſus : Stude, inquit, bone puer, futurum
enim eſt, ut mecum Bahiam naviges in So-
cietatem receptus. Anno ab hac prædictio-
ne ſexto res evenit, uti Correa futuram præ-
nuntiarat. Ultimis litteris, quas Goam ſcri-
pſit ad P. Antonium Franciſcum, inter alia,
quæ indicabat, intellectu haud ita facilia, il-
lud paulo apertius enuntiavit : duos ſibi lu-
ctationis annos ſupereſſe; quibus & mortem
ſuam ſignificaſſe, biennio poſt Romæ conſe-
cutam, & luctationis nomine graviſſimas,
quas hac extrema tempeſtate pertulit, ærum-
nas appellaſſe compertum eſt.

## CAPUT XVI.

*Summa ubique de ejus Sanctitate opinio.*

Quamquam nihil diligentius ſtuduit, quam
virtutes ſuas abſcondere, & potiora in
ſe

collata Dei beneficia omnes mortales ce-
re, nihilominus ſanctitatis ſplendor vel ip-
invito eminebat, atque in omnium ocu-
s animoſque ſeſe inſinuabat. Hinc mag-
a ubique domeſticis externiſque de homi-
is ſanctimonia fuit opinio. Quo in loco
am haberent Societatis Præſides, ſatis ipſi
gnificarunt, cum ejus ad Orientalem In-
iam profectioni acriter obſtitere, affirman-
es ſe ſine juſto religionis metu pati non
oſſe, ut Provincia Braſilica tanto fraudare-
ır ornamento. P. Emmanuel de Siqueira
'rovinciæ Braſilicæ Moderator, cum Janua-
ienſe Collegium inſpiceret, quo in Collegio
orrea per id temporis Theologiæ ſtudebat,
jus virtutem tanti fecit, ut in frequenti
rimorum Patrum corona dicere non dubi-
averit, eum juvenem ſibi dignum videri,
ui graviſſima quæque Ordinis munia com-
nitterentur, modo per ætatem & ſtudio-
um occupationem liceret. Jam vero pri-
ati quique quemadmodum de ipſo in uni-
erſum ſentirent, ex eo conjici poteſt,
uod in negotiis majoris momenti ad ejus
reces tanquam ad commune certiſſimumque
erfugium accurrerent, eumque propter in-
ignem in rebus ad pietatem ſpectantibus
eritiam conſilii cauſa frequentes adirent.
'. Joſephus de Mendoza, qui apud nos non
ulgari ſanctimoniæ laude florebat, cum ali-
quan-

quando accerſitus eſſet ad audiendam generalem confeſſionem cujuſdam, qui ad componendas conſcientiæ ſuæ rationes peritiſſimo doctore ſibi opus eſſe ſignificarat, hominem monuit, ut P. Corream acciret; quia, inquit, Vir eſt apprime ſanctus ac doctus.

Teſtificatur P. Antonius Franciſcus, diu apud ſe tanquam viri ſancti reliquias aſſervatum fuiſſe faſciculum litterarum, quas ipſe a P. Correa Goam ſcriptas acceperat: atque idem aſſerit, ſe eas litteras relegere conſueſſe, quoties, uti ſæpe fit, mens in conſuetis pietatis exercitiis pigreſceret, ac ſolito eſſet frigidior; & magnum ſemper ex earum lectione fructum cepiſſe, animumque ad pietatem inflammari nunquam non ſenſiſſe.

Qualem vero quantamque de Correæ ſanctitate opinionem noſtri animis imbibitam haberent, nunquam luculentius quam in ejus obitu apparuit; nam illa omnia cum eo agi vidimus, quæ cum Sanctis ſolent. Admota ejus cadaveri ſudaria, & ſacri globuli; veſtes, capillique reſecti; ea omnia, quamquam nullius pretii, quibus ipſe uſus fuiſſet, ſtudioſiſſime perquiſita.

Nec domi ſe continuit præclara de ejus ſanctitate opinio; ad externos etiam permanavit. Mirum eſt, quantam apud ſum-

ummos infimosque exiſtimationem ſit con-
ecutus, qui omnem nominis ſui celebrita-
em ſummopere fugiebat. Eum magna ve-
eratione ſunt proſecuti, ut Optimates ali-
s prætermittam, Bahienſis Archiepiſcopus,
Epiſcopi Olindenſes, in quibus D. Fran-
iſcus Aragna tam præclare de ejus ſancti-
ate ſentiebat, ut nihil ægrius tulerit, quam
jusdem Bahiam diſceſſum, quaſi eo abſen-
e maximum Diœceſi ſuæ columen defu-
ſſet; quanto vero ejus deſiderio teneretur,
tis declarabat crebro de ipſo ſermonem
njiciens, ac nihil ſibi optatius eſſe dicti-
ans, quam ut denuo videre poſſet & al-
oqui ſuaviſſimum ſuum Corream, virum
lum ſanctiſſimum, pulcherrimum Societa-
is ornamentum.

Nec tantummodo ipſe ob illuſtrem
nctimoniæ famam ab omnibus colebatur,
ed ea quoque, quæ ipſius fuiſſent, tanquam
es ſacræ, pia veneratione aſſervabantur.
uidam juvenis nobili loco natus, pro ea
uam de P. Correa conceperat opinione bi-
as ejusdem manu exaratas litteras loco ſa-
rarum reliquiarum diu apud ſe retinuerat,
uas ſemper ſecum geſtabat, easque ſibi
alde ſalutares fuiſſe prædicabat, propterea
uod iis munitus pericula non pauca eva-
ſſet. Cum hæc omnia idem Pater aliquan-
do

do inaudiſſet, incredibile dictu eſt, quantum erubuerit vir modeſtiſſimus; quare per ſummam diſſimulationem præfatas litteras, quaſi vellet eas recognoſcere, in manus ſibi tradi poſtulat. Tradidit incautus adoleſcens, eaſque Pater tanquam nocentes ſuperſtitionis reas damnavit, flammiſque addixit, tanto adoleſcentis dolore, quantum vix capere potuiſſet, ſi theſauri jacturam feciſſet.

Hæc habui de P. Correa, quæ ſcriberem. Multa deſiderantur externorum teſtimonia, quæ haberemus locupletiſſima, niſi obſtarent difficillima tempora, quibus hæc ſcribuntur. Multa quoque ſepulta ſunt cum noſtris, qui ante Corream ipſum obierunt, & in his quidem erant nonnulli, qui eum de tota vita confitentem audierant; alii vero eidem olim præfecti non pauca norant, quæ nos fugerunt. Ea demum, quæ hic commemoravimus, memoriæ prodiderunt ſocii Correæ ſuperſtites, quorum autographa teſtimonia apud me ſunt. Quædam meis ipſe oculis præſens obſervavi; olimque P. Correæ diſcipulus hoc quantulumcumque eſt, grati animi monimento chariſſimi præceptoris memoriam poſteritati mandandam curavi.

Notæ

# NOTÆ
# QUÆDAM HISTORICÆ
# ET
# ANIMADVERSIONES
# AD VITAM
# VENERAB. P. CORREÆ.

# Editor Animadverſionum
## Lectori benevolo.

*Cum mihi daretur Commentarium Vitæ Vener. Patris Emmanuelis CORREÆ J. Provinciæ Braſilienſis pervolvere, perculit e locus ille, ubi Commentarii ſcriptor ad dearandam Patris Emmanuelis inſignem in reis adverſis tolerandis conſtantiam atque alaitatem nonnulla breviter modeſteque perſtrint de atrocitate, qua in earum quoque regioim Societatem ſævitum fuit. Hic itaque curiom me hominem cupido inceſſit rem altius ingandi cognoſcendique, quoad ejus facere poſn, utrum famoſus adminiſter Carvalhus idquam, quod apud æquos rerum æſtimatos fidem aliquam invenire poſſet, in Braſilien Jeſuitas attuliſſet; an eamdemmet in eos ponendi mentiendique inverecundam tenuerit tionem, quam in Europæos tenuit; ea per iverſam Europam impudenter diſſeminans, æ cultis nationibus contemptui ac riſui fuerunt. iligentiam igitur, quam potui, maximam adhii, ut de hac re plane atque omnino edocerer, puram ex ſinceris incorruptisque fontibus veatem baurirem. Viros barum rerum notitiâ*

 *in-*

*instructissimos, & ab omni partium studio alienos consului, quorum integerrimis & summæ fidei atque autoritatis testimoniis plane comperi, quæcunque Carvalhus in Brasilienses Jesuitas aut dixit, aut scriptitari jussit, mera esse commenta fabro suo digna, id est inepta & perridicula non minus, quam illa de Nicolao I. Paraquariæ Rege fabella. Putabat autem vir bonus, se apud nos liberos homines eam apertissimis mendaciis conciliaturum esse fidem, quam a suis miseris Lusitanis errore ac minis extorquebat. Multa mihi prætereunda sunt, quæ hujus neque loci neque temporis esse video. Pauca tamen cognatione aliqua cum iis connexa, quæ commentarii scriptor attingit, ad ejusdem commentarii calcem subnecto. Fortasse, humanissime Lector, hæc ubi leges, continuo in mentem tibi veniet suspicari, me unum Jesuitarum esse. Ut ingenue fatear, Jesuita non sum, nec mea quidquam interest, sursum ne an deorsum Jesuitarum res agantur. Uno veritatis amore ducor. Nihilominus tamen, ut de me meisque Animadversionibus, quod tibi collibitum erit, judices, per me licet. Vale.*

*Ani-*

## *Animadversio I.*

Ardens ſtudium convertendi ad Chriſtum barbaras nationes, quo P. Correa quam maxime flagrabat, cum proprium erat inſtituti Jeſuitici, tum peculiari quadam ratione ad Braſilienſes Jeſuitas pertinebat, qui magnam ſane in hac parte ſibi laudem comparaverant; exempla enim ſecuti majorum ſuorum Nobregæ, Anchietæ, Granii, Lobati, Navarri, Almeidæ, aliorumque complurium inſignium virorum, qui præclara & luculenta in Braſiliæ ſilvis Apoſtolatus ſui veſtigia reliquerant; multo ſudore, fuſo etiam aliquando ſanguine hanc aſperrimam & valde ſpinoſam Domini vineam excolebant. En autem, quam tenebant, excolendi rationem: Sacras excurſiones ad barbarorum ſilvas frequenter inſtituebant, eoſque adibant, alloquebantur lingua Braſilica, quam multo ante ſtudio perdiſcebant, blandis ſermonibus ſilveſtrium hominum ingenia demulcentes; deinde primas religionis, cujus nullam omnino apud iſtos barbaros veſtigium exſtat, notiones

 inge-

ingerebant, eorumque animis inſtillabant;
Deum exiſtere, ſupremum rerum omnium
artificem, & conditorem, qui probos in-
terminatæ vitæ felicitate omnibus deliciis
affluente remuneretur, improbos æternis
ſuppliciis afficiat: aquam eſſe quamdam ſa-
lutarem, qua eos ablui oporteret, qui a
Deo Optimo Maximo in filios adoptari, &
æternæ felicitatis participes fieri cuperent.
Tum demum omni ope nitebantur eis per-
ſuadere, ut, relictis ſilvis & indigna illa
vivendi more belluarum ratione, ſecum alio
commigrare vellent, ubi domicilium homi-
nibus ratione præditis conveniens ponerent;
& Chriſtianis myſteriis probe eruditi aqua
illa ſalutari lavarentur, ut beatam illam,
quæ Dei filios manet, hæreditatem adire
poſſent: interim hanc vitam mortalem ſub
potentiſſimi atque humaniſſimi Luſitaniæ
Regis patrocinio ac tutela longe commodius
acturos, quam ſi in ſilvis ſuis degerent.

His ſermonibus deliniti, ſed multo ma-
gis Dei miſerantis intimo auxilio adjuti plu-
rimi barbarorum animum inducebant, ut
ea facerent omnia, quæ Miſſionarius ſug-
geſſerat. Cum magna igitur barbarorum
multitudine ex ſilvis egrediebantur felices
illi bipedum ferarum venatores, & ad loc
Luſitanorum oppidis vicina eas Chriſto, Re
gique

gique colonias deducebat. Extruendis hujusmodi coloniarum pagis prædiisque colendis locus ab regiis adminiſtris aſſignabatur. Unaquæque colonia ſuum apud ſe Miſſionarium retinebat, qui omni cura & ſollicitudine Chriſtianæ fidei myſteriis cognitu neceſſariis barbaros ſuos inſtruebat, optime inſtructos ſacro fonte expiabat; & quam diligentiſſime curabat, ut vitam dein chriſtianis hominibus dignam ducerent. Cætera regendæ gentis ratio ad regiorum ſuper hac re decretorum normam conformabatur.

Hanc ex avitis ſilvis extrahendi barbaros rationem, a majoribus ſuis acceptam, uſque ad hæc ultima tempora retinuerunt, & perquam religioſe ſervarunt Societatis Patres Provinciæ Braſilienſis, & in ipſomet temporis articulo, quo eos immanis procellæ communis turbo involvit, atque abripuit, multi Jeſuitarum in perducendis ad Chriſtum eo, quo dixi, modo barbaris ſtrenuam operam ponebant. Nominatim apud barbaram *Grenſorum* nationem haud procul ab oppido *Ilheorum* commorabatur, deque iis barbaris ad Chriſtum convertendis agebat Auguſtinus Mendes, qui paucis ab hinc annis in Tuſculano Romano eſt mortuus. In ſilvis non multum diſtantibus ab urbe S. Sebaſtiani apud barbaros *Garulhos* idem nego-

 tium

tium urgebat Emmanuel Cardosus. Ejusdem rei perficiendæ causa laborabant Emmanuel a Cruce ad fluvium *das Velhas*; Franciscus Bernardinus ad *Fluvium magnum*; * Stephanus de Crasto apud *Cujabaenses*; * Augustinus Laurentius apud *Mattogrossenses*; aliique alibi.

Jam vero longior essem, quam ferat instituti mei brevitas, si labores omnes atque ærumnas persequi vellem, quas pro charissimis sibi barbaris Jesuitæ devorabant; pauca tamen commemorabo de gravissimis incommodis, quæ pro tuenda Brasiliensium Indorum libertate diversis temporibus perpessi sunt earum regionum Jesuitæ: atque hæc idcirco attingam, ut unusquisque possit inde conjicere, quam incorruptæ fidei testis in Jesuitas fuerit Carvallius, qui in re omni Brasiliæ perquam nota & perspecta mentiri non est veritus, & Jesuitas ipsos tanquam Indorum libertatis oppressores insimulare. Ad propositum igitur descendamus.

Nihil potius & antiquius habebant Jesuitæ in Brasilia, quam ut Indorum libertatem sartam tectam ab omni injuria conser-

* Hi duo postremi Ullyssipone obierunt; primus 26 Martii 1781. alter 21 Junii 1786.

ſervarent. Ipſi & Pontificia diplomata & Regia edicta contra oppreſſores hujusmodi libertatis popoſcerunt, & impetrarunt, & pro hac ipſa libertate tuenda graviſſima incommoda ſubierunt, & multa valde indigna tolerarunt tum noſtra tum patrum memoria. Sæculo ſuperiore, anno videlicet 1640 in urbe S. Sebaſtiani promulgatum fuit decretum Urbani VIII. in eos, qui Braſilianos Indos in ſervitutem abducebant, Jeſuitarum opera & precibus impetratum. Ea re tantus inceſſit furor eorum animos, qui hoc decreto petebantur, ut Patrum Societatis Collegium armata manu tumultuantes invaſerint, fores bipennibus perruperint, ædes occuparint, omniaque miſcuerint contenta voce clamitantes: *interfice, interfice hos proditores, publicæ quietis turbatores, rerum opumque noſtrarum everſores*; atque ad extrema omnia deveniſſent, niſi ſalvator Correa de Sà, urbis Prætor cum militibus tempore accurriſſet, aliique Optimates tumultuantium impetum retardaſſent, ac penitus repreſſiſſent.

Haud multo poſt ſimili furore perciti ad eam ipſam urbem ſeſe armatos contulerunt finitimi *Macacuenſes* * Patribus So-



* id eſt, incolæ celebris cujusdam pagi, cui nomen *Macacu*, non procul ab urbe S. Sebaſtiani.

Societis mortem minitantes, niſi ab Indorum libertatis defendendæ propoſito deſiſterent, ac plane abſtinerent. Iſtorum quoque furor publica fuit authoritate compreſſus.

Eodemmet anno, & hanc ipſam ob cauſam Jeſuitæ ejecti ſunt ex civitate S. Pauli, & ex oppido Sanctorum, vi & potentiane dicam, an inſolentia, intolerandaque audacia *Camargorum*, id eſt, alterius ex duabus factionibus, in quas per id temporis diviſa erat civitas univerſa; nec reſtituti fuerunt, niſi duodecim poſt annis, opera *Pireſiorum*, quæ altera erat factio.

Anno 1652 ſollicitudine & poſtulatu Jeſuitarum, nominatim vero celeberrimi Patris Antonii Vieira, Rex Joannes IV. legem tulit, ut Indi, qui per univerſam Braſiliam ad id uſque temporis in ſervitute fuiſſent, in libertatem aſſererentur omnes. Hujus novæ legis promulgatione tumultuatus eſt populus Maranonienſis, & ad Jeſuitarum domum furibundus confluxit, vociferantibus aliis, ut faces in eas ædes jacerentur, aliis, ut Patres in naves compingerentur, & vi ex civitate ejicerentur. Accurrit Prætor cum militari præſidio, & populi temeritatem furoremque coercuit.

An-

Anno 1654 ex Maragnonia idem Vieira Ulyſſiponem profectus eſt, ut Braſilianorum libertatis, qua nihil ſibi charius erat, cauſam apud Regem ageret; & eam quidem egit quam maximo potuit ſtudio ac diligentia; idque perfecit, ut Rex novam ferret legem 9 Aprilis anni 1655, qua Braſilianorum quamcunqe ſervitutem ſeveriſſime vetabat; quatuor dumtaxat eventus excipiebat, quibus hujusmodi homines in ſervitutem abducere licere declarabat; 1. ſi ipſi impedimento eſſent, quominus Evangelium promulgaretur. 2. ſi a Luſitanis juſto bello capti fuiſſent. 3. ſi ab aliis barbaris æqui belli jure captos Luſitani redemiſſent. 4. ſi captivos in circo religatos, jamjamque a barbaris inimicis ſecundum nefandum patriæ morem comedendos Luſitani a morte liberaſſent.

Hujusce legis promulgatione *Guarupaenſis* præfecturæ populus tumultuari cœpit. Duos Jeſuitas, qui in ea præfectura commorabantur, per ſummam violentiam in vincula conjiciunt, & atrocem in modum ex oppido ejiciunt, ac relegant. Prætor Andreas Vidal Negreirius eo, quo par erat, ſupplicio in autores tumultus animadvertere ſtatuerat; at ſupplicium, quo ſeditioſos homines affici oporteret, fervidis Jeſuita-

ſuitarum precibus condonavit, eosque perpetuo tantum exilio multavit.

Anno 1661 ejusdem legis cauſa, & conſtantia, qua pro ea rite ſanctequeſervanda Jeſuitæ propugnabant, arma capiunt Maranonienſes, & tumultuaria irruptione Patrum Societatis Collegium invadunt furioſe vociferantes : *foras Jeſuitæ*; *foras proditores*; *foras rerum*, *facultatumque everſores*. Tum Patres indignum in modum ex Collegio abducunt, & in privatam domum primum includunt; paulo poſt in navem compingunt, additis perpetuis cuſtodiis atque excubiis. Alios interea Jeſuitas ex Indorum pagis vinctos pertrahunt, & in idem navigium contruſos una cum inſigni P. Antonio Vieira, omnes ( tredecim erant ) die 8 Septembris ejusdem anni ſolvere, atque Ulyſſiponem navigare coegerunt. Maranonienſium exemplum ſecuti ſunt Paraenſes. Societatis homines numero ſexdecim partim ex Collegio Paraenſi, partim ex Indorum pagis in vinculis perducunt ; & octo aut novem circiter menſes vinctos tenent, ac peſſime habent; tum vero in navem impoſitos ad regiam Luſitaniæ urbem transmittunt menſe Junio 1662.

Ulyſſiponem ubi appulſum fuit, Vi-

dua

ſua Regina Aloyſia, quæ pro filio Alfonſo adhuc puero regnum adminiſtrabat, de rei indignitate certior facta ſtatim voluit Maranonienſium Paraenſiumque turbarum autores capitali ſupplicio multari. At P. Antonius Vieira Jeſu Chriſti exemplo pro inimicis ſuis diu multumque eſt Reginam deprecatus; & qua ſumma erat eloquentia, & mirabili ad perſuadendum efficacia, Reginæ animum tandem flexit, & conſceleratiſſimis hominibus vitam impetravit. Ad Maragnoniam reverſi ſunt Patres, ibique omnibus publicæ lætitiæ & honoris ſignificationibus excepti. Eos in triumphi modum ad ipſorum Collegium proſecuti ſunt Primores civitatis. Omnia plaudentis populi vocibus perſonabant; factis æribus turres, arces bellicis tormentis in publicæ lætitiæ & plauſus ſignum percrepabant.

Cum hæc omnia notiſſima ſint, extentque de hac re ſummæ autoritates, & teſtimonia præſtantiſſimorum hominum, Præſulum videlicet, Prætorum, Moderatorum Civitatum, & ejus ætatis Scriptorum, nihilominus Carvalhus, homo acutus, & eruditus Americæ Luſitanæ Jeſuitas, tamquam Indorum libertatis oppreſſores, inſimulare non dubitavit; et, quod caput eſt, Benedicti

dicti XIV. Apostolicas litteras *, quas *Breve* appellant, ad eam rem probandam, confirmandamque in medium producit; quæ quidem litteræ Jesuitarum operâ a commemorato Pontifice impetratæ fuerant. Cum enim nonnulli Lusitanorum Paraensium annis 1737. 1738. & 1739. Indorum Hispanorum pagos ad flumen *Orinocum* positos subitis incursionibus infestare cœpissent, & pacatos homines in servitutem iniquissime perducere; Jesuitæ Hispani, quorum curæ ii pagi commissi erant, de ea re Madritum scripserunt, & apud Catholicum Hispaniarum Regem conquesti sunt. Aula Madritensis eas, de quibus agimus, litteras a Benedicto XIV. obtinuit. Hujusmodi litteræ missæ fuerunt ad aulam Fidelissimi regis Joannis V, qui vel politica ratione adductus, quod exterorum opera impetratæ fuissent; vel quia, re diligenter indagata, repertum fuit, *Paraenses* ab injustis incursionibus omnino cessasse, commemoratas litteras tunc promulgari noluit. At bonus vir Carvalhus & optima fide præditus pontificias hujusmodi litteras, quasi fuissent in Societatis homines scriptæ, evulgandas promulgandasque curavit; atque ita Indorum libertatis

tatis

* Breve incipit ( *Immensa Pastorum Principis* ) extat in I. Tom. Bullar. XIV.

atis acerrimos defenſores ſuismet ipſorum
rmis configere eſt conatus.

* Aliis bene multis ſuperſedeo brevi-
atis gratia ; Teſtimonium tamen Joannis
lē Maja ſupremi Maragnoniæ Gubernatoris
ic tranſcribam, quod ſummam in hac par-
e Jeſuitarum integritatem plane confirmat.

*Teſtimonium Joannis de Maja ſupremi
Iaragnoniæ gubernatoris in litteris ad Regem
Joannem V. die* 10 *Septembris* 1725 *datis.*
„ Patres Societatis in hac Maragnoniæ di-
„ tione inviſi ſunt, ſemperque hic odio ha-
„ biti fuerunt non aliam ob cauſam, niſi
„ quia miſerorum libertatem Indorum ſtre-
„ nue defendunt, ſeque pro viribus oppo-
„ nunt tyrannicis ejus oppreſſoribus, libe-
„ ros natura homines ad indignam inju-
„ ſtamque ſervitutem redigentibus; atque
„ id ſtudioſiſſime curant, ut Majeſtatis tuæ
„ ſuper hac re leges religioſe obſerventur.
„ Ipſi omnem operam ſuam ponunt in pro-
„ movenda ſalute animarum, & augenda
„ Majeſtatis tuæ ditione; multosque Eccle-
„ ſiæ

* Legantur ſuper hac re Franciſcus de Brito Freirius de Bello Braſil. pag 424. num. 816. Bernardus Pereira de Berredo Annal. Hiſtor. lib. 14. pag. 437. lib. 18. pag. 585. & 606. Muratorius Chriſt. fel. part. 2. pag. 144.

„ ſiæ filios, & Majeſtati tuæ ſubditos e bar-
„ baris gentibus adjiciunt. In his recenti-
„ bus, quas ad duo flumina *Tapajoſiorum*,
„ & *Madeiræ* nuper faciendas curavi, ex-
„ peditionibus iſti Patres more ſuo ad bar-
„ baros horum fluminum accolas penetra-
„ runt, eosque, uti ſolent, ſic tractarunt,
„ demulſeruntque, ut multa ipſorum millia
„ Chriſti fidem amplecti, & Majeſtati tuæ
„ libenter parere conſtituerint, ut videre
„ licet in adjunctis expeditionibus P. Jo-
„ annis de San Payo de barbaris ea flumi-
„ na incolentibus, quæ in *Madeiram* influ-
„ unt; & P. Joſephi da Gama de incolis
„ fluminis *Tapajoſiorum*. Cum igitur hæc
„ flumina Jeſuitarum miſſionum fines allu-
„ ant, ubi Patres magnos barbarorum, quos
„ ipſi ad Chriſtum traxerunt, pagos funda-
„ tos habent; & in iis nominatim pagum
„ *Abacaxiſorum*, quatuor circiter Indorum
„ millia complectentem, & pagum *Arapi-
„ unſorum*, quo duo quoque barbarorum
„ millia e ſilvis perduxerunt; &, cum plu-
„ res alias nationes iidem Patres jam con-
„ venerint, earumque Duces, & prima ca-
„ pita ſint allocuti, eiſque jam perſuaſerint,
„ ut relictis ſilvis & barbara vivendi ra-
„ tione, Chriſtum ſequi velint, civilemque
„ ſub potentiſſimo, humaniſſimoque rege

„ vi-

„ vitam ducere ; ad tam multas deducen-
„ das in pagos nationes, & ad colligendum
„ tantæ segetis fructum opus est multis o-
„ perariis : nam ad singula flumina singu-
„ læ sedes octo decemve Missionariorum
„ sunt plane necessariæ ; interim autem re-
„ quiruntur saltem sex Socii, quorum ope-
„ ra in pagos deducantur ii, quos dixi,
„ barbari jam ad commigrandum compara-
„ ti, & qui deinceps comparabuntur ; quæ
„ res in magnam certe Dei gloriam, mag-
„ numque hujusce Majestatis tuæ ditionis
„ incrementum cedet ob ingentem vim ca-
„ ryophilli, Americanarum fabarum vul-
„ go *Cacao*, quibus abundant ea Flumina.
„ Quod si hoc anno, uti meditor, fauces
„ fluminis *Tapajosiorum* expediero, & a tri-
„ bus barbaris nationibus, quæ illas infe-
„ stant, liberavero, erit nobis immensa vis
„ caryophilli ; quia hujus Fluminis margi-
„ nes supra modum abundant caryophillo
„ ad hanc usque diem intacto, & nunquam
„ ex his locis extracto. Ad perficiendam
„ hujusmodi rem, qua magnum cum Deo
„ tum Majestati tuæ obsequium præstabitur,
„ visum mihi fuit hæc ad Majestatem tuam
„ per litteras referre, ab eademque pete-
„ re, ut dignetur in mandatis dare præpo-
„ sito Societatis provinciæ Lusitanæ, ut So-

„ cios, quot quot mitti poterunt, ad hanc
„ vineam excolendam mittat; eisque ad fa-
„ ciendas expensas aliquid subsidii ab æra-
„ rio conferendum decernere; nam quid
„ quid adversus hos Patres latrent iniqui
„ obtrectatores, odio & invidentia in eos
„ concitati, multa inepte blaterantes, ac
„ mentientes de utilitatibus & lucro ab
„ ipsis e missionibus percepto, omni asseve-
„ ratione fidem facio Majestati tuæ tam-
„ quam de re mihi penitus cognita & per-
„ specta, unos Patres Societatis veros esse
„ harum regionum Missionarios. Ii, quid
„ quid ex Indorum labore percipitur, in
„ ipsorum Indorum utilitatem convertunt,
„ & in ornatum, nitoremque templorum,
„ quæ in missionibus suis habent nitidissi-
„ ma & ornatissima. Ex missionibus nihil
„ omnino ad rem suam trahunt, cum nihil
„ proprium habeant; nam quod quisque
„ Missionariorum mittit, totum traditur
„ Procuratori missionum, totumque distra-
„ hitur, atque impenditur in usum utili-
„ tatemque ejus missionis, unde provene-
„ rat, & nullo modo in alios usus conver-
„ titur. Quoniam autem hoc anno conta-
„ gionis causa onerarii Maranonensium ha-
„ bitatorum lintres, vulgo *Canoàs*, adverso
„ flumine navigare non potuerunt, & pes-
„ sime

ſime habiti, peneque diſſipati redierunt, cum Patres Indos ſuos ab aliis operis vacuos habuerint, non exiguam fabæ *Cacào* vim colligere, ac mittere potuerunt; unde ſtudioſiſſimus ſalutis animarum, idemque doctiſſimus P. Viſitator generalis æs alienum, quo miſſiones gravabantur, diſſolvit, eisdemque miſſionibus, quæ neceſſaria erant, abunde providit; quod magnas cum ſæcularium, tum Eccleſiaſticorum adverſus Patres obtrectationes excitavit; quamvis enim aliorum ordinum Miſſionarii tantundem mittant; quia tamen unusquisque ſeparatim mittit portionem uniuscujusque propriam; ut eâ utatur, quomodo ei libebit, magna illa *cacai* vis in multas partes diviſa non admodum movet intuentium animos; at vero Miſſionarii Societatis omnes omnium Miſſionariorum partes in unum acervum ſimul collectas ad miſſionum Procuratorem mittunt; ex quo fit, ut acervus ille communis in unum congeſtus malevolorum atque invidentium oculos perſtringat, animosque commoveat.

„ A me etiam poſtularunt Patres Societatis id, quod in adjuncto ipſorum ſupplici libello continetur, cujus expoſitio vera eſt ac fidelis. Siquidem hi Patres

 „nun-

„ nunquam ſe contaminarunt injuſta Indo-
„ rum ſervitute. Non ita vero alii Regu-
„ lares, qui non ſolum Indis barbaris in
„ iniquam ſervitutem contra Majeſtatis tuæ
„ leges redactis, verum etiam in pagos jam
„ deductis ad excolenda non modo ſua,
„ ſed etiam ſuorum conſanguineorum, ami-
„ corumque prædia utebantur; uti factita-
„ bant Fratres... Hæc obiter attingo ad de-
„ monſtrandam laudabilem, ſingularemque
„ agendi rationem Patrum Societatis, quos
„ in hac parte ſequuntur Franciſcani ex *Re-*
„ *formata* S. Antonii familia.

Joannes de Maja, ſupremus
Maranoniæ Gubernator.

Huic tandem animadverſioni finem facio, unum breviter notando, quod Carvalhianam imponendi mentiendique impudentiam ſatis declarat. Per ſpeciem donandi ampliſſima libertate Indos pagorum, quibus ante præerant expulſi Jeſuitæ, eosdemque ad civiliorem vitæ ſtatum adducendi, hujusmodi pagis ſpecioſa urbium, celebriumque oppidorum nomina indidit: tum germano fratri ſuo Franciſco Furtado de Mendoza, quem ad illius ditionis perniciem Maranoniæ præfecerat, in mandatis dedit, ut eos pagos fictis, vanisque urbi-
um

m nominibus inſignitos, ceu totidem no-
iles urbes pulchro proſpectu graphice in
hartis pingendos curaret, atque ita pictos,
Ulyſſiponem ad ſe mitteret. Riſu corrue-
ant ii omnes, qui in Braſilia, & Marano-
ia ignobiles an ruſticos pagos videbant in
obiles pulcherrimasque urbes (in char-
is ſcilicet) Carvalhiano miraculo repente
onverſos. Carvalhus tamen hujusmodi
icturis Regi ſuo imponebat, univerſæque
Europæ imponere nitebatur. Interea infe-
ces Indi chriſtiani, cum mercenariis Pa-
ochis, Moderatoribusque uti cogerentur,
ui miniſteriorum ſuorum mercedem a mi-
eris, tenuiſſimisque hominibus exigebant,
icem ſuam dolentes, Patrum ſuorum (ſic
nim Jeſuitas vocabant qui nihil mercedis
b eis poſtulabant; imo, quæ ipſis neceſſa-
ia erant, tamquam amantiſſimi parentes
ppeditabant) intimo animi ſensu, ac de-
derio recordabantur. Quare pagos ſuos
e ipſa pauperes, & obſcuros, perridiculo
amen Carvalhianarum picturarum menda-
io nobiles urbes atque magnificas multi
eſeruerunt; & quod maxime deploran-
um eſt, nonnulli, ut perhibetur, ad anti-
uas ſilvas remigrarunt.

*Animadversio II. ad cap. 6. p. 52.*

Hic idem Episcopus Olindensis Franciscus Aragna, qui P. Corream, & Societatem tanti faciebat; qui nihil, ad bonam Diœceseos suæ administrationem quod attinet, moliri audebat inconsultis Societatis hominibus, quorum sanam doctrinam, & probatos mores probe norat, & palam prædicabat; nihilominus, jubente Carvalho, pastorales, quas vocant, litteras ad Diœceseos suæ populum dedit, quibus Jesuitarum existimationem ac bonum nomen atrocem in modum laceravit. Et, quamquam dom flebat, illas tamen litteras, quibus in Jesuitas ea dixit, quæ ipse falsa omnino esse certo sciebat, revocare non est ausus.

Idem fecit Episcopus S. Sebastian Fluminis Januarii D. Antonius de Dester ro. Is in administranda Diœcesi sua pluri mum utebatur Jesuitarum opera; vehe menter id laborabat, ut e Societate Missio narii sacris concionibus populum ad melio rem frugem redigerent: Sacerdotes suos qui ad audiendas confessiones promovend essent, Jesuitis theologiæ Professoribus pe riclitandos tradebat; siquis difficilior in qua vis re nodus incideret, non ante acquies cebat, quam Societatis Magistros super e

re

re ſententiam rogatos audiret: adeo, ut ab iis conſulendis non abſtinuerit, ne in ipſa quidem jam ſæviente in Societatem procella; paucis enim ante diebus, quam Jeſuitarum collegium militari corona cingeretur, cum orta eſſet gravis quædam, neſcio qua de re ad Eccleſiæ forum ſpectante, controverſia, quæ Epiſcopali ſententia dirimenda erat, audire voluit Epiſcopus, quid alii Theologi ſentirent; non tamen ante quievit, quam aliquem Societatis Theologum conſuleret. Conſuluit; et, cum jam militibus obſeſſa eſſet Jeſuitarum domus, omnisque cum externis voce ſcriptove collocutio eis interdicta, reſponſum accepit; & quidem ſecundum id reſponſum controverſiam diremit. Interea in mandatis a Carvalho accipit, ut omnibus infamiæ notis Jeſuitas inurat: atque ille ſine ulla cunctatione imperata facit, & paſtoralibus litteris omni libello famoſo atrocioribus Jeſuitarum nomen, doctrinamque proſcidit. Et miramur inter profanos homines exſtitiſſe, qui contra fas & jus, nullaque æternæ ſalutis ſuæ habita ratione, Carvalho morem geſſerint, cum in venerando Epiſcoporum cœtu hæc tamen execranda, tamque Eccleſiæ luctuoſa videamus exempla? Iſtorum animos pudendum in modum imbecilles ac debiles aut fregit terror, quem illis incutiebat de-

teſtandus Carvalhi furor & crudelitas; aut permovit ambitio, & ad ampliores epiſcopatus aſcendendi cupiditas; nam ad terrorem quod attinet, multis argumentis cognorant barbaram hominis ferocitatem, & ſperare non poterant Carvalhum cum ipſis mitius acturum, quam egit poſtea cum D. Joſepho Botelho de Mattos Archiepiſcopo Bahienſi ( *vide Caput* 7. ) aut cum venerabili Epiſcopo Conimbricenſi, quem a ſede ſua violenter dejectum in tetrum carcerem conjecit, & omni ope adnixus fuit, ut innocens victima capitali pœna multaretur; quam tamen ſacrilegam crudelitatem perficere non potuit. Nam Dei conſilio & providentia effectum eſt, ut regni habenas caperet auguſtiſſima Regina Maria I, quæ infinitis graviſſimisque malis, quæ marchio Pombalenſis in Luſitaniam invexit, mederi cœpit; ſtatimque plurimos Carvalhi fraudibus & calumniis, tamquam majeſtatis reos, in vinculis detentos, e carcere emitti juſſit; atque in iis quidem duos Epiſcopos; nimirum Conimbricenſem, cujus innocentiam perhonorifico decreto publice declaravit; (hujus autem maximum apud Carvalhum delictum fuerat, quod paſtoralibus litteris populum ſuum commonefecit ac vehementer eſt adhortatus, ne quosdam legerent

rent impios libros, ac peſtilentes, ad corrumpendam juventutem, religionemque penitus evertendam natos, quorum vim magnam ipſe Carvalhus per certos homines in Luſitaniam invexerat, & vulgo ſpargi juſſerat.) Alter fuit Epiſcopus S. Ludovici Maranoniæ Fr. Antonius a S. Joſepho ex Auguſtiniana Familia, vir integerrimus. Is antequam ad ſedem ſuam proficiſceretur, ob falſos rumores in Maranonienſes Jeſuitas ſparſos, animo ab eis erat non nihil alienato; eo tamen ubi pervenit, uſu ipſo atque experientia edoctus, eos Jeſuitas tales non eſſe, quales Carvalhus per Luſitaniam, atque adeo per univerſam Europam depingebat, & putidis mercenariorum ſuorum libris depingendos curabat, omnibus eos amicitiæ & benevolentiæ ſignificationibus eſt proſecutus, eorumdemque opera, & miniſterio ad rem ſuæ diœceſeos bene gerendam plurimum utebatur. Cum igitur a Carvalho litteras accepiſſet, quibus ei præſcribebatur, ut calumniis ac mendaciis Jeſuitarum nomen laceraret, bonamque de ipſorum moribus ac doctrina opinionem apud populum penitus deleret, exhorruit optimus antiſtes, maluitque ferocis adminiſtri crudelitati furorique ſe objicere, quam illud committere, quod ſibi nunquam de-

M 5 len-

lendam apud posteros infamiam, et, quod caput est, certam æternæ salutis suæ jacturam pareret. Exarsit illa Furia, & Episcopum imperata facere recusantem actutum Ulyssiponem avocatum Leiriam relegavit, & Augustinianorum domum pro carcere habere jussit, ubi vixit præsul venerandus usque ad obitum Fidelissimi Regis Josephi I; cujus ultima voluntate, & Fidelissimæ hæredis Mariæ I. æquitate, cum multis aliis liberatus fuit; atque in præmium innocentiæ, toleratorumque pro justitia laborum, voluit eadem Regina, ut ad Archiepiscopalem sedem Bahiensem eveheretur; & re ipsa renunciatus fuit Archiepiscopus Bahiæ S. Salvatoris; senectute tamen & laboribus confectus, antequam Bahiam proficisceretur, Ulyssipone est mortuus. Interea Carvalhus Pombalium relegatus fuit, opportuno tempore, ut credere fas erat, debito supplicio afficiendus.

Hæc (ut ajebam) Carvalhi crudelitas duos illos imbecilles, ac debiles Episcopos Olindensem, & Fluminensem fortasse perterruit, aut permovit ambitio & ampliores gradus adipiscendi cupiditas. Nam Carvalhus supra modum in eos crudelis, qui furiosis ac sacrilegis ejus mandatis resisterent, aut ullo modo reclamarent, libe-

ralis

ralis tamen fuit, ac munificus erga illos, qui fine ulla cunctatione dicta audientes imperata feciffent. Hujusce rei teftes effe poffent Fr. Michael de Bulhoens, Paraenfis Epifcopus, & Fr. Alexius N. Epifcopus Mirandenfis, ille ad Leirenfem fedem Carvalhi beneficio, hic ad Portuenfem multo ampliorem translatus. At inter omnes apud Carvalhum gratiofos, maximisque ab ipfo ob præclara merita beneficiis affectos eminuit D. da Cunha. Is antea Jefuitis fuerat amiciffimus; eorum doctrinam, probatosque mores fummis ad cœlum laudibus extollebat; uberrimum fructum & utilitatem, quam ex Societatis minifteriis chriftiana respublica ubique gentium percipiebat, palam prædicabat; miffionarios Jefuitas per fuam Diœcefim frequenter mittebat. At Carvalhi juffu, Jefuitarum amicitiam, &, quod multo eft deteftabilius, propriæ confcientiæ rationes fuis privatis commodis poftponens in veteres amicos acriter ac ferociter invectus eft paftoralibus litteris, quæ valde Carvalho placuerunt. Fuit autem harum litterarum autor & compofitor quidam Augftinianus Fr. N. a S. Rita, qui haud multo poft, cum mercedem non accepiffet, quam fe largiter accepturum fperabat, ut erat homo furiofus, ipfi Epifcopo D. da Cunha impudentiffime ob-

obtrectare cœpit, ejusque mores, atque omnem agendi vivendique rationem dictis laceravit multo atrocioribus, quam Jesuitarum nomen momorderat ac lacerarat. Quare ab ipso Episcopo, ejusque fautore Carvalho merito sibi metuens Romam aufugit, ubi calumniis & mendaciis, quæ in Jesuitas Lusitanos evomuerat, solennem dixit palinodiam. Interea, cum Romæ nihil haberet, unde posset honeste vivere, beneficorum hominum opera effectum est, ut bibliothecæ Canonicorum S. Spiritus præficeretur, quo ex munere pensionem satis honestam percipiebat. At homo ingenio ac natura maledicus, ne ab ipsis quidem Canonicis, quorum pane vivebat, pungendis abstinuit. Quapropter eo munere privatus domoque ejectus vitam degere miserrimam pædagogi officio Romæ coactus fuit; deinde Passionistarum congregationem ingressus est, atque ejus congregationis juventutem aliquandiu theologiam docuit. Fidelissimo autem Rege Josepho I. vita functo, ex Passionista factus iterum Augustinianus in Lusitaniam suam reversus est. Ad D. da Cunha quod attinet, Carvalhiano beneficio ex Episcopo Leiriensi factus fuit Archiepiscopus Eborensis, deinde Cardinalium cœtui adscriptus, nec multo post, insolita viris ecclesiasticis dignitate, profanis

ma-

magiſtratibus præfectus, & ſupremus judicum præſes creatus, mortuo denique Paulo Carvalho, Carvahli noſtri germano fratre, in ejus locum generalis Fidei quæſitor ſuffectus eſt. At ubi mortem obiit Rex Joſephus I, cum ruitura crederetur Carvalhiana factio, D. da Cunha omnium beneficiorum a Carvalho in ſe collatorum immemor ei ſe adverſum atque inimicum præbuit.

## *Animadverſio III. ad cap. 7. p. 57.*

Famoſus libellus inſcriptus: *Reſpublica Paraquariæ*, pluribus ineptiis, apertisque mendaciis ( ut recte ait commentarii ſcriptor ) quam verbis conſtans, fuit primum veluti claſſicum, quo Carvalhus bello Jeſuitico initium fecit. Hunc ille conſcribi juſſit occaſione pactæ permutationis *Coloniæ Sacramenti*, Luſitanorum urbis ad *Flumen argenteum* poſitæ, cum ſeptem Indorum Hiſpanorum pagis; nec non celeberrimæ expeditionis conſtituendorum limitum cauſa ſuſceptæ. Hujusmodi autem tum permutationis, tum expeditionis origo hæc fuit. Erat per id tempus in Braſilia quidam Chriſtophorus Pereira, ex mercatore decoctor inſignis, ære alieno obrutus, idemque futili loquacitate præditus,

&

& inanium consiliorum inventorne dicam, an ridiculus somniator. Is Joannem Gomes Freire de Andrade urbis S. Sebastiani Prætorem adiit; hominique non admodum perspicaci stolida loquacitate persuasit, Paraquariæ Indorum pagos, quibus Hispani Jesuitæ præficiebantur; Aurifodinis valde copiosis abundare; unde Jesuitæ incredibilem nescio quam Auri vim quotannis extrahebant opera Indorum; ejus metalli pretium atque æstimationem penitus ignorantium; ( hinc, opinor; Nicolaus I. & nummos suos conflabat; & militibus suis stipendia solvebat ); rei Lusitanæ plurimum interesse; si id effici posset; ut hujusmodi pagi ad fidelissimi Regis ditionem adjicerentur. Joannes Gomes nihil cunctatus de hoc Pereiræ somnio Carvalhum per litteras docuit. Itaque Carvalhus ærarii ac regiæ pecuniæ; seu potius suæ studiosissimus omni ope nititur; ut septem Indorum Paraquariæ pagi cum *Colonia Sacramenti* Lusitanorum urbe commutentur. Bona duorum regum optimorum fides circumvenitur. Hac de re tabulæ, pacta, conventa, stipulationes utrinque publice subscribuntur. Constituendorum limitum negotium datur a Lusitanis commemorato Gomesio urbis S. Sebastiani prætori; ab Hispanis marchioni *de Valdè Lirios*; qui eo cum imperio mittuntur;

&

& quoniam antiqui pagorum incolæ ex ter-
ris ac domibus laribusque suis, in quibus
nati & educati fuerant, ejici ægerrime la-
turi videbantur, & tamquam pro aris &
focis acriter certaturi ac restituri, duo ma-
gnis sumptibus exercitus inter se fœderati
comparantur; alteri prætor Gomesius, al-
teri marchio *de Val de Lirios* Imperatores
præficiuntur. Ego quidem, o Lusitani, hoc
loco ea præterire volo, quæ sine gravi no-
minis vestri dedecore atque infamia com-
memorari non possunt. Tegant, tegant,
quæso, atque æterno premant silentio vastæ
illæ solitudines execranda facinora, quorum
vos plurimum debet pudere; cum miseri
homines earum regionum indigenæ ex ter-
ris suis & laribus vi ejiciendi, ad exerci-
tuum vestrorum conspectum pavitantes,
positis armis, fixis humi genibus, suppli-
ces, & pro more gentis manus plaudentes,
ea significatione veniam ac misericordiam
orantes, a vobis armatis crudelissimum in
modum necabantur. Deus immortalis! tan-
tamne crudelitatem, ac barbariem cadere
potuisse in nationem cultam atque huma-
nam; quales habentur, semperque habiti
fuerunt Lusitani! At omnis istarum rerum
gloria uni Carvalho tribuenda est, cujus im-
manitas & incredibilis crudelitas huma-
nam mansuetamque nationem adeo potuit
effe-

efferare. Sed quid de illis a Pereira, a Gomesio tam decantatis septem pagorum aurifodinis? num repertæ sunt? minime vero: nusquam enim exstabant, nisi in unius decoctoris Pereiræ cerebro. Quid igitur tanto belli apparatu, tantisque sumptibus effectum est? multa quidem & gravia. Miserorum Indorum sanguine illa solitudo redundavit: septem pagi, qui Jesuitarum Hispanorum cura, & labore ita religione, innocentia, incontaminatis moribus florebant, ut nihil primitivœ ecclesiæ similius inveniri posset (id quod multi præstantissimi viri tum ecclesiastica tum profana dignitate præditi testimoniis suis plane confirmarunt, & ne ipsi quidem accerrimi Jesuitarum adversarii diffiteri audent) Gomesianorum militum adventu ac licentia polluti & penitus contaminati atque in totidem lustra lupanariaque sunt conversi. Ad hæc autem perficienda ab ærario Lusitano, quod nimirum illis aurifodinis mirum in modum auctum iri Carvalhus noster credebat, & regi pollicebatur, septies aut octies aureorum centena millia persoluta sunt. O egregium, ac præclarum regiarum rationum procuratorem Carvalhum.

Porro Gomesius cum suismet ipse oculis præsens observasset, falsa esse omnia quæ,

quæ, Pereira ſuggerente, ad Carvalhum ante ſcripſiſſet; ſive pudore ſuo, ſive conſcientiæ ſtimulis punctus, per litteras, quibus a ſe ante ſcripta de aurifodinis, ac de Jeſuitarum rebus infirmabat, & quodammodo refigebat, Carvalhum, ut perhibent, dedocere coactus eſt; eas vero litteras cum legiſſet Carvalhus: delirat, inquit, bonus ſenex, et, quæ vere ante dixerat, ſenectutis vitio amplius ſuſtinere neſcit. Nihilominus Gomeſium cum exercitu, re infecta, jubet excedere, ipſumque quamvis delirum ſenem, in præmium rei bene geſtæ novo Comitis de *Bobadella* titulo decoravit. Ipſe autem indictum Jeſuitis bellum acriter eſt proſecutus.

Itaque famoſum illum, de quo diximus, libellum, cui titulus: *Reſpublica Paraquariæ*, Romam ad perneceſſarium ſuum Almadam, quem Fideliſſimi Regis apud S. Sedem paulo ante legatum fecerat; mittit, eique negotium dat, ut ad frangendam Jeſuitarum audaciam, medendumque malis, quæ in eo ſummæ autoritatis libello denuntiabantur, *Reformationis*, uti appellant, *Breve* omni ope ac ſtudio a Pontifice Max. impetrandum curet. Ut ingenue fatear (neque enim homini de Carvalhianis rebus optime merito debitam laudem invidere volo) Almada,

 quam-

quamquam erat alioquin mortalium ſtolidiſſimus, in urgendo tamen hoc ſibi commiſſo negotio ſtrenue ſe geſſit. Multos Romæ habuit ad id peficiendum gnavos adjutores auro Luſitano emptos. Hujusmodi operariis triginta aureorum millia diſtributa fuerunt; Carvalhus enim, quamquam erat pecuniæ tenaciſſimus, & a ſumptibus faciendis valde alienus (utpote qui in magna penuria, & rei familiaris anguſtia natus & educatus fuerat) ad conficiendum tamen in Jeſuitas bellum, victoriamque reportandam ſumptibus non pepercit; quos tamen non a ſuo, ſed a publico ærario faciebat; imo certum ei erat ac deliberatum ad eam rem perficiendam, ſi opus eſſet, ærarium exhaurire, magnisque impoſitis vectigalibus populos vexare. Et quidem Societatis extinctio ipſius Carvalhi confeſſione octies centenis millibus aureorum ærario Luſitano ſtetit. Sunt autem, qui non ſine probabili argumento affirment, ſumptus in ejusmodi negotio factos ad duodecies, & amplius, centena millia aureorum aſcendiſſe. Hoc igitur modo a moribundo Benedicto XIV. extortæ fuerunt litteræ Pontificiæ, quibus in Viſitatorem, ut ajunt, Apoſtolicum Jeſuitarum per omnem, quæ fideliſſimo Regi paret, ditionem creabatur Cardinalis Saldanha. De ratione, qua in hoc munere ſe geſſit

t Eminentiſſimus Viſitator, alio in loco
liquid *Anim.* 4. attingemus. Interea Car-
alhus delendæ Societatis negotium pro vi-
ibus urgebat; nullamque ad id aſſequen-
um potiorem certioremque viam fore ar-
itratus, quam ſi Jeſuitæ bonam, quæ de
pſis in populorum animis alte erat defixa,
pinionem calumniis mendaciisque oppreſſi
nitterent; et, qua plurimum apud prin-
pes florebant, gratia privarentur (id quod
in Concilio Burgofontano, & in aliis
cerrimorum Societatis adverſariorum, eo-
ımdemque catholicæ religionis hoſtium
ongreſſibus jampridem deliberatum ac pla-
e ſtatutum erat) omni ope in id niſus eſt,
: diſſeminatis ubique terrarum famoſis li-
ellis Jeſuitarum nomen obſcuraret, & bo-
ım; quæ de ipſis univerſe habebatur, ex-
imationem, ſi fieri poſſet, penitus dele-
t. Nonnulli hujusmodi libellorum in ip-
Luſitania conſcripti fuerunt, ita tamen
riose, inſcite, atque inepte, ut ſuis po-
ıs autoribus, quam Jeſuitis infamiam ig-
ominiamque pepererint. Poſt mendax opu-
ulum, cujus paulo ante mentionem feci-
ıs, inſcriptum: *Reſpublica Paraquariæ*; fa-
le princeps illud fuit, cui titulus: *Dedu-*
*o chronologica & analitica*: Nequid in hoc
iſero ac pudendo ſcripto contineretur,
iod a mendacio abhorreret, ne ipſum qui-

N 2 dem

dem autoris nomen verum eſt ſed plane ſuppoſititium. Doctor Joſephus de Siabra, qui iniquitate temporum, & præpotentis Carvalhi furore coactus fuit informi, atque infami hujusmodi ſcripto nomen ſuum dare, ingenio, ac doctrina erat illuſtrior, dialecticæque ſcientior, quam ut tam ſtulte, tamque inſipienter argumentationes ſuas conficeret, atque ita ineptum, ridendumque in modum concluderet. Hujuſce ſcripturæ ab omnibus, ſi pecudem aliquam excipias, contemptæ atque irriſæ ſcopus eſt demonſtrare, et, ut ſerio promittitur, evidentiſſimis argumentis & rationibus planum facere, unicos Jeſuitas cauſam atque originem extitiſſe omnium malorum & calamitatum, quas perpeſſa eſt Luſitania, ex quo ipſi eo pedem intulerunt. Jam vero quæ ſunt iſtæ evidentiſſimæ rationes & argumenta? ſunt mera ex trivio maledicta; ſunt indigniſſimæ contumeliæ, conviciaque ſcurrarum propria, eorumque qui in agro & villa nati ſunt atque educati; ſunt frequentiſſimæ quædam loquendi formulæ, quæ unos deceant lixas atque calones. Ubi vero ad concludendum venitur, Deus immortalis, quæ concluſionum monſtra! ea nimirum, quæ, non dico a homine dialectico, ſed ne a villico quidem aut bardo aliquo bubulco expectare poſſemus.

mus. In toto hoc egregio ſcripto mirabiles in Jeſuitas aſſertiones uſurpantur ; ſed multo eſt illud mirabilius, quod ex præcedentibus ſumptionibus, vel conceſſis, nunquam illud conſequatur, quod erat aſſumptum. Ex infinitis pauca ſummatim attingam, unde reliquorum ſpecimen capiatur, ac de omnibus conjectura fiat.

§ 4 pag. 14. I. partis edit. Rom. ſic ait bonus iſte deductor chronologicus, & analiticus. „ Cum iis ( Simone Rodrigues, & „ ſociis ) in Regiam Joannis III ſeſe in- „ truſit monſtrum illud horrendum Hypo- „ criſis ſub ſpecioſo aſpectu operum miſe- „ ricordiæ & pietatis, armata omnibus il- „ lis dolis ac fraudibus, quas ſupra dixi ; videlicet § 21. Adeamus igitur § 21, & videamus argumenta evidentiſſima, quibus iſte aſſertionem ſuam probat. En § 21 „ ingreſſus eſt ( inqnit ) fingendo ſe con- „ temnere magnificum hoſpitium, quod eis „ Rex parari juſſerat, oſtiatim mendican- „ do, in publicis valetudinariis commoran- „ do, ad populum concionando, Cateche- „ ſim tradendo, in carcere detentos invi- „ ſendo, aliaque hujusmodi pietatis, & mi- „ ſericordiæ opera exercendo, quæ uti ſunt „ magni apud Deum meriti, cum propter „ unum Deum fiunt, ita ſunt maxime ſe-

„ ditiosa, & reprehensione digna, cum fi-
„ unt animo imponendi populo, uti *facie-*
„ *bat P. Simon Rodrigues.* Nihilne ampli-
us, mi deductor chronologice & analitice
perge porro. Quid amplius vultis? an non
hoc evidenter concluditur, ac plane de-
monstratur, Simonem Rodrigues ejusque
socios fuisse insignes sanctitatis simulato-
res? o mirabilem dialecticam! o egregi-
um deductorem!

§ 25. *Hac* (inquit) *ratione* (id est
ostiatim mendicando, in valetudinariis in
serviendo &c.) *fanaticum furorem spargen-*
„ *tes* populos adeo commoverunt, ut ip-
„ sum Simonem Rodrigues *Apostolum*, ejus-
„ que Socios *Apostolos* nominarint, id au-
„ dentes contra verum & legitimum Jesu
„ Christi Apostolatum, & ad nihilum re-
„ digentes omnes alias pias, bene meritas
„ & sacras Regularium Communitates, qu-
„ tot sæculorum spatio in Ecclesia Dei ade-
„ illustres extiterant litteris, virtutibus &
„ sanctitate. Quem, quæso, petit hæc ist-
us declamatio? Simonem Rodrigues, eju-
que socios? quid? num primi illi Jesuit-
Apostolorum nomen sibi indiderunt, an e-
cum universa Lusitanorum natione Rex ip-
se Joannes III ob præclara ipsorum in p-
pu-

pulos ſibi ſubditos merita hoc nomine, atque honore dignatus fuit ?

§ 38 ait, Sereniſſimum Cardinalem, & Archiepiſcopum Henricum Regis fratrem ( qui poſtea & Luſitaniæ Rex fuit :) P. Simoni Rodrigues, ejusque ſociis valde infenſum fuiſſe, eos de fide ſuſpectos habuiſſe, propterea in eorum mores ac doctrinam ſeveriſſime inquirere, & ſummo jure acta ſuper hac re conficere juſſiſſe. Hæc omnia vera quidem ſunt. At ſi Deductor noſter chronologicus & analiticus vir eſſet honeſtus, & bona fide præditus, illud ſilentio præterire non debebat, quod publicis monumentis & factis, quæ nemo inficiari poteſt, memoriæ proditum eſt, nimirum ſiniſtris malevolorum rumoribus & calumniis eam ſuſpicionem in religioſiſſimo D. Henrici animo ingeneratam fuiſſe; hunc Sereniſſimum Principem inſtituta illa ſeveriſſima in Jeſuitarum mores ac doctrinam quæſtione, actisque ſuper ea re judiciali modo rite confectis, æmulorum malam fidem, ac deteſtandam malevolentiam meridiana luce clariorem vidiſſe, cognitaque ac penitus perſpecta Jeſuitarum innocentia, & probitate, eos maxime adamaſſe, & Societatem pluris feciſſe, quam fecit Joannes III. ejus frater ; Eborenſem Academiam a ſe

erectam eis regendam tradidiſſe, plurimisque & maximis beneficiis eosdem fuiſſe proſecutum.

Per longas paginas narrat animorum alienationes, diſſenſionesque inter Regem Sebaſtianum, & auguſtam ejus aviam Catharinam; easque Jeſuitis attribuit, idque planum facit teſtimonio cujusdam ſcriptoris, qui tamen plane atque aperte affirmat, D. Cardinalem Henricum, regis tutorem, eas animorum alienationes, diſſenſionesque foviſſe, quia (hæc tamen omnia per ſummam calumniam aſſerit) cupidus erat publicam rem adminiſtrandi.

Rurſus Jeſuitas facit autores ſimilium diſſenſionum inter ipſum Regem, ejusque tutorem D. Cardinalem Henricum; id autem probat & confirmat ea, qua ſolet, evidentia: autor, inquit, earum diſſenſionum fuit Martinus Gomalves primus regis adminiſter. Quomodo igitur Jeſuitæ autores fuerunt? quia (reſpondet) primarius hic regis adminiſter erat germanus frater P. Aloyſii Gonſalves, qui apud regem plurimum gratia valebat, & præceptoris munere fungebatur.

Pari evidentia demonſtrat, Jeſuitas autores

tores extitiſſe omnium calamitatum , quæ in Luſitania evenerunt ex quo ipſi eo pedem intulere. Ex. gr. Contagionem, quæ tempore Regis Sebaſtiani coorta fuit, perſpicuam iræ divinæ ſignificationem fuiſſe affirmat, propterea quod Jeſuitæ in regia verſabantur , & apud Regem gratioſi erant. Optima, & evidens argumentatio ! agevero, ſiquis eodem, quo iſte, modo fuiſſet argumentatus, dixiſſetque, horrendum illud flagellum, quo nullum a regno condito horribilius in Luſitania fuit, nimirum magnum terræmotum , qui anno 1755. Ulyſſiponem miſerandum in modum afflixit, ſoloque æquavit, perſpicuam fuiſſe divinæ indignationis iræque ſignificationem, propter execranda flagitia adminiſtri Carvalhi, qui in regia dominabatur , eratque apud regem valde gratioſus ; ſiquis , inquam, hoc dixiſſet, is continuo non modo ſacrilegus in feliciſſimam adminiſtrationem, verum hæreticus, imo & hæreſiarcha dicendus erat.

Superſedeo dicere, quam intoleranda iſte inſolentia, & petulantia de cunctis Luſitaniæ regibus, eorumque adminiſtris loquatur a Joanne III. uſque ad Joannem V; quos omnes depingit ut totidem fungos, ſtipites, & caudices, qui apertiſſima Jeſuitarum ſcelera non viderint, neque tam mul-

N 5 tis,

tis, graviſſimisque publicæ rei malis mede-
ri ſtuduerint ; ſed potius tot malorum ca-
lamitatumque autores foverint, atque ama-
rint.

Jam vero in II. Parte hujuſce Operis
ad excitandos in autorem ſuum hominum
riſus unice nati, & in quo paſſim cum im-
pietate certat craſſa pudendaque inſcitia
non minus frequentes, quam in prima par-
te, recurrunt ineptiæ, eæque tales, tam-
que abſurdæ, ut vinolenti hominis, qu
nondum crapulam ſatis edormierit, mer
ſomnia eſſe videantur.

Sub finem II. partis in ſupplici libel-
lo Regi porrecto § 9. ſic habet analiticus ſom-
niator : *ſimili facti evidentia liquet, autorita-
te illuſtrium virorum, qui Societatem ingreſſ
ſunt ( id eſt, S. Franciſci Borgiæ, aliorumqu
ejus ſimilium in natalibus, & ſanctitate Op-
timatum ) conſtitutum fuiſſe Synedrium, quo
non minus præpotens evaſit in Curia Romana
quam Hiſpania Luſitaniaque evaſerat ad ma-
chinandum clandeſtinis conſiliis, quidquid ei li-
buiſſet ad menſuram cupiditatis ſuæ ; atque i
ipſum deinde ſacro Vicariorum Chriſti nomi-
ne venerandum redderet, atque in totidem Pon-
tificia diplomata ad finem machinationum ſua-
rum redigeret.*

§. 14.

§ 14. & 15. *Eadem facti evidentia liquet, Synedrium Jesuiticum eo spectasse, ut conderent codicem non quidem religiosarum Legum, sed Legum carnalium, quæ eo tendunt, ut Jesuitæ in universo terrarum orbe dominentur, sibique Ecclesiam ipsam, & omnia terrarum imperia ditionesque subjiciant.*

§ 16. *Vi cæcæ & materialis obedientiæ, quam Jesuitæ præposito Generali profitentur, in ejus potestate esse tenentur eo modo, quo erat Abramus, cum Dei mandatum fuit executus, &, quod inde necessario consequens est, parati esse debent ad mactandum & occidendum &c. atque inde extiterunt tam luctuosa multorum Regum, supremorumque Dominorum parricidia.*

§. 19. *Ex quo evidenter conficitur,* 1. *ea materiali, cæca & nullis terminis circumscripta obedientia contineri apertissimam corporis & animi servitutem, quæ hominem redigit ad conditionem servi, quem dicunt pœnæ, id est, carnificis; qui occidit non alia ex causa sive ratione, nisi quia jubetur.* 2. *ad hanc servilem, cæcam & materialem obedientiam teneri non solum eos, qui in Societate vivunt, verum etiam qui e Societate fierent Ecclesiæ Præsules; atque adeo ad eam obedientiam præposito Generali præstandam teneri Episcopos, Archiepiscopos,*

*pos, Cardinales, atque ipſos Pontifices Maximos, ſi Jeſuitæ profeſſi ante fuiſſent.*

§ 23. uſque ad § 28. *Eadem facti evidentia liquet, tertiam viam, quam ipſum Synedrium arripuit ad conſequendum eumdem indignum finem, fuiſſe hujusmodi: poſtquam hoc Synedrium in medio Eccleſiæ & Regnorum, ſupremarumque ditionum ſtabilitum vidit deforme illud, ferox, formidabile imperium a ſe fundatum, omni ſollicitudine in id intentum fuit, ut per totum terrarum orbem univerſale hujusmodi tyrannidis ſuæ imperium amplificaret, cujus rei perficiendæ cauſa ſupplementa conſcripſit ex ſæcularibus cujuslibet conditionis, & ſexus, ut ſub Societatis vexillo contra proprios Principes & patriam militarent, inſtituendo videlicet iu Collegio Romano per ſpeciem pietatis fatalem Virginis ab Angelico Nuntio ſalutatæ ſodalitatem &c. Quicunque attente legerit preces, quibus impetrata fuerunt pontificia diplomata in favorem antedictarum ſodalitatum, nullo modo dubitare poterit, quin hæc omnia eo tetenderint, ut horrenda illa conſilia, & execrandum finem perſequerentur, nimirum ſubjiciendi eos cujuslibet conditionis & ſexus ſodales ſervili obedientiæ Præpoſito Generali præſtitæ, efficiendique (virtute cæcæ, & materialis obedientiæ) ex commemoratis ſodalibus totidem ſupremi Principis & patriæ hoſtes.*

§. 38.

§. 38 & 39. *Atque hinc* (ex illis sodalita-
ibus ) *se prodidit, atque in notitiam hominum*
*enit vera causa mirabilium quorumdam effecto-*
*um, qualia fuerunt : Obstinatio illa, qua Ja-*
*obus Laines, Jesuitarum omnium astutissi-*
*nus, Cardinalatum recusavit anno* 1555, *cum*
*odemmet tempore de universo terrarum orbe*
*ibi subjugando cogitaret ;* 2. *Constantia, qua*
*dem Laines effecit, ut ej s socii Episcopatus &*
*Archiepiscopatus eis a Ferdinando Romanorum*
*Rege oblatos repudiarent ; Itemque magnus ille*
*conatus, quo Claudius Aquaviva obstitit, et,*
*quoad ejus facere potuit, se opposuit, ne Cle-*
*mens VIII. P. Franciscum Toletum Cardinalem*
*crearet.*

§. 40. *Facta ipsa demonstraverant, & quo-*
*tidie evidentissime demonstrabant, hujusmodi*
*congressus a Societatis hominibus convocatos, &*
*instructiones, quæ dabantur sub specioso colore*
*spiritualium exercitiorum, nihil esse aliud, nisi*
*seditiosa conventicula, omnibus regnorum, & re-*
*rumpublicarum civilibus legibus vetita ; nihil*
*aliud, nisi in supremos Principes subditorum*
*concitationes ; nihil denique, nisi parricidia, &*
*latrocinia.*

§. 55. Sub finem. *Clandestinum, obrep-*
*titium, & subreptitium Breve* APOSTOLICUM
PASCENDI *datum die* 7. *Januarii* 1765, *& con-*
*cep-*

*ceptum ſtylo quodam in litteris Apoſtolicis inuſitato &c. In cujus initio Miniſterium Romanum* (id eſt, Eminentiſſimus Aloyſius Cardinalis Turrigiani; egregiis virtutibus ornatus, quarum Roma teſtis fuit ac ſpectatrix, in primis vero peritia rei politicæ conjuncta cum nota morum probitate, cum mira in omnes æquitate; cum inſigni erga pauperes miſericordia, quibus magnam pecuniæ vim quotannis elargiebatur vir domi ſuæ copioſiſſimus) *Miniſterium Romanum S. Patris nomen profanavit, quod in eo Brevi inſcripſit, ut verbis inſolitis, & mirificis laudibus autoritatem conciliaret eidem Inſtituto Jeſuitico, quod, ut clare, evidenter, diſtincteque liquet ex inſpectione in illud facta, congeriem continet carnalium aſtutiarum, quæ ad evertendam Dei eccleſiam, & omnia Regum imperia, ditionesque tendunt.*

§. 64. Deductor eruditus, & in Pontificio jure verſatus egregie conficit ex contextu in C. *hæreticus* Synedrium Jeſuiticum eſſe palam, evidenterque hæreticum, & verba ipſa profert laudati capitis *hæreticus*: *Hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi, maxime gloriæ, principatusque ſui gratia falſas; ac novas opiniones vel gignit, vel ſequitur.*

Illud

Illud autem eſt multo mirabilius, quod
le Romano adminiſtro, Cardinali Turrigi-
ni concludit §. 68. *Ex alio*, inquit, *contex-*
*u* in Cap. qui aliorum: *qui aliorum defendit*
*rrores multo amplius damnabilior eſt illis, qui*
*rrant. Unde, quia Magiſter erroris eſt, non*
*antum hæreticus, ſed etiam hæreſiarcha* dicen-
lus eſt. Ita ne? miſeret me tui, bone
Turrigiani; eras igitur non hæreticus mo-
lo, verum etiam hæreſiarcha?

In hunc, quem paucis hiſce locis indi-
:avi, modum omnes argumentationes ſuas,
atiocinationesque concludit optimus diale-
ticus hujus ſcripti autor: Autor vero, an
Autores? Siquidem plures fuiſſe hujus vi-
iſſimi operis veteramentarios ſutores ex ipſa
tyli diverſitate facile comprehenditur. E-
ninet tamen ſtylus Carvalhianus, ille qui-
lem ad nauſeam Aſiaticus, ſupra modum
:onfuſus, verbis nihil ſignificantibus redun-
lans, nihil denique concludens, uno verbo
perridiculus; qualis in cunctis hujus magni
Luſitaniæ philoſophi, ſapientiſſimique æta-
is noſtræ Lycurgi ſcriptis apparet. Nam
quid aliud facere poterat homo plane illit-
eratus, & in nullo diſciplinarum genere
eruditus; unam enim legum ſcientiam ad-
liſcere cœpit in Conimbricenſi Academia;
brevi tamen, ut erat natura inconſtanti,
volu-

volubilique ingenio, jurisprudentiæ, quam addiſcebat, nuntium remiſit, & imperfecto ſtudiorum curriculo, Ulyſſiponem eſt reverſus, nihil ex academia illa, præter futilem loquacitatem, afferens ad tantam rerum adminiſtrationem, quam fato neſcio quo Luſitaniæ miſero ac funeſto erat geſturus.

Jam ad aliud ejuſdem farinæ ſcriptum veniamus, titulo BREVIARIUM. In iſto quoque illud evidentiſſime demonſtrandum proponitur: Jeſuitas omnium in Luſitania ſcientiarum peſtem ac perniciem extitiſſe; Academiam Conimbricenſem totam corrupiſſe; nominatimque in ea Theologiam, utriuſque juris facultatem, medicinam funditus evertiſſe. Ad hanc rem demonſtrandam evidentiſſimæ rationes & argumenta ex limpidiſſimo fonte hauriuntur, nimirum ex illo, de quo paulo ante diſſeruimus, libello inſcripto: *Deductio Chronologica, & Analitica.* Nec aliud quidquam ad probandas confirmandasque omnes *Breviarii* theſes, atque aſſertiones in medium producitur, niſi loca, & contextus commemorati libelli; quare iſtius fidem ac dignitatem ex illius dignitate ac fide metiri oportet. Cum igitur ſingularem illius dialecticam cæteraſque egregias dotes, oſtenderim, ſatis mihi de iſto *Breviario* dixiſſe videor. Ad hu-

jus

us calcem quædam afferuntur ad Jesuita-
rum, quæ de moribus est, doctrinam con-
figendam, rancidaque ingeritur cantilena de
laxis in hoc genere, corruptisque Jesuita-
rum opinionibus. Pleraque confuse, &
permixte, neque laudatis auctoribus, neque
signatis locis, & contextibus in unum con-
geruntur, & accumulantur; nonnulla ve-
ro aut ineptis, violentisque interpretationi-
bus. Sic in alienum sensum detorquentur,
ut interpretantium malitia, & mala fides
cum inscitia pugnare videtur; aut maligne
mutilantur autorum contextus, & in mo-
rem plane *Concinianum* depravantur.

Quamquam vero hoc *Breviarium* est
ejusmodi, ut risum potius, quam viri cu-
jusque docti assensum possit elicere, ad ple-
nam tamen ejus confutationem duo hic bre-
viter notare mihi lubet. 1. Jesuitæ in aca-
demia Conimbriacensi eas dumtaxat faculta-
tates docebant, quæ inferiores appellantur;
id est; Philosophiam, Rhetoricam, Huma-
nitatem. Quomodo igitur Theologiam, Ju-
risprudentiam, Medicinam in Conimbrio-
censi academia evertere potuerunt? 2. Lu-
sitani Jesuitæ in exilio suo, quamvis omni
prorsus commoditate ad scribendum neces-
saria carentes, ea nihilominus scripserunt,
atque in Lucem ediderunt, quæ Carvalhum

in hac parte, Carvalhianosque ſcriptores mendacii plane convincant. Nam, ut alios præteream, Emmanuel Marques, Ignatius Monteiro, Euſebius de Veiga, Joſephus de Novaes, Emmanuel de Azevedo, Joſephus Rodrigues de Mello excellentibus in lucem editis operibus, nimirum *Defenſio cultus ſanctiſſimi Cordis Jeſu injuria impugnati a Camillo Blaſio. Philoſophia libera, ſeu ecclētica. Ephemerides Romanæ ſupputatæ, ad verum meridiem ſecundum meridianum Romæ circulum. Romanorum Pontificum hiſtoriæ elementa. Venetæ Urbis deſcriptio. Georgica Braſilica, ſive de Ruſticis Braſiliæ rebus*; non exiguam nominis celebritatem apud eruditos, & æquos iſtarum rerum æſtimatores ſibi compararunt, & planum, perſpicuumque fecerunt, in Jeſuitis Luſitanis & floruiſſe, & adhuc florere Theologos eximios, perilluſtres philoſophos, præſtantiſſimos mathematicos, egregios hiſtoricos, præclaros poetas Virgiliana prope elégantia, nitoreque ſcribentes. Præterea mihi compertum eſt, multas extare apud autores ſuos Jeſuitas Luſitanos ſcriptas manu doctiſſimas, atque evidentiſſimas calumniarum omnium confutationes, quæ, ſi aliquando in lucem prodibunt, & oppreſſam tot annos innocentiam luculenter vindicabunt, præſertim a calumniis, & maledictis, quæ paſtoralibus litteris,

-is, five inſtructionibus in ipſos large, effuſeque evomuerunt Carvalhiani epiſcopi; & palam oſtendent, quam ineptum, & riſu dignum illud ſit, quod in *Breviario* aſſeritur: Jeſuitas in Luſitania ſcientiarum peſtem, ac perniciem inſcitia ſua extitiſſe.

Alii præterea in Luſitania editi, ac pervulgati fuerunt in Jeſuitas famoſi libelli, quibus ipſa ſuorum auctorum nomina contemptum afferunt, irriſionemque conciliant; quales ſunt, quos ineptiſſime ſcripſit egregius ille doctor a Carvalho magna mercede conductus, ille, inquam, celeberrimus Fr. Norbertus, pudendum, atque indignum venerabilis Capucinorum ordinis purgamentum. Quid hominis iſte fuerit, jampridem nos docuit ejus in India præſes P. Thomas de Poitiers, cujus teſtimonium eo minus debet eſſe ſuſpectum, quod & ipſe haud bene erat erga Jeſuitas animatus. Teſtimonio igitur P. Thomæ de Poitiers fuit Fr. Norbertus inſignis quidam *falſarius*, & *circumſcriptor*. En quo ſe pacto res habuit: in exequiis D. de Viſdelou ab iſto Norberto habita fuit Ponticerii laudatio funebris, in quam ipſe non tam defuncti laudes, quam in Jeſuitas atroces calumnias, impudentiſſima mendacia, & indignas honeſto homine contumelias congeſſit. Ea res univerſæ ci-

 vita-

vitati offensioni fuit. Quare ut publicam indignationem elevaret, aut aliqua ex parte a se propulsaret, sed multo magis, ut orationem illam funebrem impune sibi liceret in lucem edere, de quærenda spectati alicujus, præstantisque viri approbatione cogitavit; & nominatim cupiebat eam obtinere a D. de Lolliere Episcopo Juliopolitano: videbat autem fieri non posse, ut ab Episcopo rem adeo turpem, tantumque ejusdem nomini dedecus allaturam impetraret. Quapropter nihil cunctatus approbationem ipse confecit, & ad libidinem suam exaravit D. de Lolliere manum imitatus, atque incredibili audacia mentitus. Itaque indignam orationem cum approbatione, ac subscriptione Juliopolitani Episcopi typis mandavit. Id postquam rescivit Episcopus, vehementer excanduit, & hominem temerarium, atque insigniter impudentem ad se accitum exarare coegit propria manu chirographum, quo declararet, ac solemniter fateretur: *Approbationem, ac subscriptionem D. de Lolliere Juliopolitani Episcopi, & Vicarii apostolici renuntiati, præfixam infami orationi funebri a se editæ suppositititiam omnino esse, et, Episcopo penitus insciente, ei operi appositam.*

De

De hac re loquitur P. Thomas de Poitiers in litteris ad D. Dumas urbis Prætorem die 5 Novembris Anno 1739 datis: *Non minus*, inquit, *quam Dominationem tuam, me tædet ac pudet indignæ, atque absurdæ rationis agendi noſtri P. Norberti: & hoc magis me tædet, quod intelligo, hac re & Dominationi tuæ dolorem, & nobis ignominiam afferri. Ego quidem jam audieram de hac D. de Lolliere ſubſcriptione, quam ille* (Norbertus) *enormi falſitate Orationi ſuæ funebri appoſuit: Alia quoque in hoc genere & fecit, & ſcripſit, quia credidit, ſe hoc pacto de ſua illa infami Oratione funebri purgatum iri, falſum rumorem tota urbe diſſemnavit: Sibi a P. Thoma miſſa fuiſſe documenta in Jeſuitas ita verbis exaggerata, ut ipſe iis uti auſus non fuerit: Hoc autem eſt falſiſſimum; quomodo enim ad eum mittere poteram documenta in Jeſuitas, cum haberem nulla?*

Aliis litteris 22 Novembris 1739 eamdem rem perſequitur idem P. Thomas: *In documentis, quæ ut ipſe affirmat, ad eum miſi, erit illud, opinor, de nomine D. de Lolliere, quod iſte Orationi funebri præfixit, quaſi commemoratus D. de Lolliere eam approbaſſet, & ſubſcripſiſſet.*

Neque a Fr. Norberto hæc aut ſemel, aut fortuito aliquo caſu, ut ſcilicet ab ali-

qua, in qua deprehensus esset, angustia se
expediret, & excitaret, facta sunt. Hæc
ille, si standum est testimonio P. Thomæ,
suopte ingenio, ac natura & inveterata
consuetudine factitabat; *mihi persuadeo* (in-
quit P. Thomas 29 Decembris 1739) *illam
Deo sacratam Virginem in litteris Mauricii
scriptis, quas apud me habeo, merito dicere
hunc* (Norbertum) *hominem esse sine fide
& sine probitate.*

*Oportet* (inquit litteris 9 Januarii
1749) *expellere, atque a nobis ejicere hunc
turbatorem contentiosum; neque expedit, ejus
lamentationibus aures præbere, cum enim neque
fidem habeat, neque probitatem, promissis suis
nunquam stabit.*

Nec sperabat hic Fr. Norberti Præ-
ses P. Thomas de Poitiers, non dico, posse
se authoritate sua eum ad meliorem frugem
redigere, sed ne impedire quidem, quomi-
nus ejus vitia in publicum prodirent, at-
que ad oculos auresque civitatis multa cum
offensione permanarent. Sic enim scrib-
(ibidem) *quid sperare, & exspectare possi-
mus ab homine, qui sibi persuasum habet, i-
que publice & palam dicere audet, se nulla
neque ecclesiasticam, neque profanam potestate
agnoscere, cui sit subjectus.*

Fr.

Fr. Norberto indies insolentius se gerente, eo res devenit, ut P. Thomas necesse habuerit *brachii sæcularis*, ut aiunt auxilium implorare; *noster P. Norbertus* (inquit in litteris 4 Januarii 1740) *ad me litteras misit valde absurdas, atque ita implicatas, ut nihil capi possit; id tamen intelligo, eum in me injuriis & contumeliis invehi voluisse .... quandoquidem nullam ecclesiasticam in se potestatem vult agnoscere, oportet, ut Dominatio tua eum cogat cognoscere, atque adeo experiri, alicujus non ecclesiastici in se vim ac potestatem; sic enim solemus interdum agere cum hoc genere hominum, qui temerarie vivunt, prorsus immemores illius Instituti, quod profitentur.*

Multus supra modum essem, si omnia complecti vellem, quæ de isto nebulone pluribus litteris testificatur P. Thomas de Poitiers; fuit enim Norbertus eo teste, *insignis falsarius; calumniator impudentissimus; discordiarum seminator; turbator publicæ quietis; iniquorum in præsides suos consiliorum machinator, temerarius utriusque potestatis tum ecclesiasticæ, tum profanæ contemptor; homo sine fide, & sine probitate; Indicarum Missionum pestis; venerandi Patrum Cappucinorum ordinis dedecus, & ignominia.*

Nihilomagis homini favent aliorum de ipso clarorum virorum testimonia. Possem litteras proferre Episcopi S. Thomæ ad Cardinalem de Fleury, quibus causas exponebat, ob quas amplius pati non poterat, ut in sua diœcesi commoraretur missionarius eo nomine indignissimus; & litteras Regias, ab Eminentissimo Domino obtinuit ad Indiam liberandam homine adeo indomito, qui universo populo offensioni erat. Possem testimonium proferre cujusdam ex Primoribus, & maxime illustribus Romæ hominibus, cujus judicio ( in litteris die 3. Octobris 1744 datis ( Fr. Norbertus *est homo temerarius, vanitate, & malignis consiliis plenus, qui forte sperat, se aliquo in numero fore, & rebus suis privatis bene consulturum, si a Societatis hostibus se adjunxerit.*

Testimonio item probi Sacerdotis e congregatione Missionis ( in litteris 14. Novembris 1744. ) Norbertus *est quidam exul, qui reversus est in Europam plenus felle & ira in Jesuitas, quibus exilium suum, & ex Indis ejectionem attribuit, in animo fixum ac deliberatum habens se ulcisci, atque in eo proposito pertinax & obstinatus, ut nulla ratio & autoritas eum a nefario consilio dehortantium, hominem de proposita sententia depellere potuerit. Est turbator publicæ quietis, qui in hac*

*Insu-*

*Insula* ( Franciæ ) *jam sui specimen dederat, et, quibus esset moribus, demonstraverat.*

Idem Sacerdos affirmat, dominum Igou Subpræfectum apostolicum, Parochum S. Lodovici in portu insulæ Franciæ adductum fuisse in necessitatem interdicendi homini adeo infami concionandi, & confessiones excipiendi ministeria.

Ex Indiis tandem auxilio *brachii sæcularis* ejectus F. Norbertus secum in Europam attulit suum illud autographum scriptum *Monumenta historica*; quo scripto nihil mendacius, nihil, si formam ipsam spectes, miserabilius; in eo enim pro arte, pro ingenio, pro methodo, pro veritate ubique apparet malevolentia, confusio, inscitia, & impudentia. Multa illic circa ritus Sinicos, & Malabaricos impudenter non minus, quam inepte comminiscitur; & singulis paginis, imo singulis fere versibus plane, & aperte affirmat, Jesuitas S. Sedis circa commemoratos ritus constitutionibus pervicaciter omni tempore restitisse, atque inde occasionem capit omnibus eos contumeliis onerandi. Quoniam igitur multi aut ultro in Jesuitas malevoli, atque iniqui, aut parum de his rebus edocti, sola tanti historici autoritate fulti nullum finem faciunt, in Je-

ſuitas declamandi tamquam in homines pervicaces ſummorum Pontificum decretis non obedientes ; pauca ſuper his ipſis rebus attingam, quantum videlicet ſatis erit ad demonſtrandam iſtius Norberti malam fidem, & in mentiendo impudentiam.

Multas habent populi Malabarici conſuetudines, quarum aliæ tam evidenter ſuperſtitioſæ ſunt, ut eas ſtatim omnes earum regionum Miſſionarii una voce, & unanimo conſenſu reprobarint. Contra vero aliæ ſunt, de quibus haud erat ita facile ſtatuere ; & dubitari poterat, utrum ſuperſtitioſæ eſſent, an mere civiles. Hinc nata fuit inter miſſionarios ſententiarum diverſitas. Epiſcopus S. Thomæ, & Jeſuitæ, multisque aliorum ordinum miſſionarii opinabantur, eas conſuetudines eſſe mere civiles ; proinde permitti poſſe, ac debere, ne ab amplectenda Chriſti fide gens Malabarica deterreretur. *Hanc Jeſuitarum opinionem*, inquit D. Fouquetus tom. 2. pag. 436, *multi quoque aliorum ordinum miſſionarii mordicus tenebant ; nihil tam erat promiſſum, quam ut ſuam quisque ſententiam pro verbis ſuſtineret.* Contra vero alii, preſertim Cappucini ſentiebant ſuperſtitioſas eſſe, & nullo modo permitti poſſe.

Jeſu-

Jesuitæ, antequam Roma loqueretur, pro virili parte sententiam suam tuebantur; illud tamen semper protestati sunt, ac professi; si S. Sedes rem definiret, atque ejusmodi ritus superstitiosos esse declararet, eosque ut tales solemniter condemnaret, se statim omni submissione obtemperaturos; & re ipsa, quotiescunque aliquod super hac re vel Legati, vel summorum Pontificum decretum prodiit, Jesuitæ obtemperarunt, quamvis eodemmet tempore causæ recognitionem, atque ultimam definitionem per procuratores suos Romæ urgere non destitissent. Postquam vero ultima super hac re constitutio, ac definitio prodiit, se plane, ac sine ulla hæsitatione, exceptione, aut tergiversatione submiserunt. Quænam igitur fuit Jesuitarum culpa, si, antequam S. Sedes aliud declarasset, ac definisset, crediderunt eos ritus, de quibus erat controversia, mere civiles esse, quemadmodum alii quoque Missionarii, atque adeo ipse Loci Ordinarius sibi persuadebant? Certe, eam rem evidentem non fuisse, argumentum est, quod hæc ipsa controversia centum amplius annos Romæ agitata fuit; quod super hoc gravissimo negotio multa S. Sedis decreta prodierunt his verbis: *donec aliter a S. Sede fuerit provisum*; Quod in his ipsis de-

decretis multæ mitigationes, temperationes, mutationes factæ sunt.

Anno 1623 Gregorius XV. Constitutionem edidit, quæ in hoc difficili, gravique negotio pro regula erat; qua quidem Constitutione non admodum contenti fuerunt Indiarum Cappucini, multasque super ea notationes, animadversionesque fecerunt, ac multum reclamarunt. Triginta tribus post annis, Alexandro VII. Pontifice Maximo, a sacro Quæsitorum Collegio Decretum emanavit, quod Jesuitarum sententiæ favebat. Venit postea Cardinalis Turnonius, qui multis in rebus huic Decreto derogavit. Ex alia parte Benedictus XIII. Decretum Cardinalis Turnonii temperavit. Clemens XII. permisit, ut decem annorum spatio in administrando Baptismo omitti posset insufflatio, & saliva ob summam aversationem, qua Malabarici hujusmodi res abominantur; & Benedictus XIV. hanc ipsam permissionem ad alios decem annos prorogavit.

Itaque, nisi gravis dubitandi causa fuisset, & rem diligentissime perpendendi, suisque momentis examinandi, an tantum temporis consumpsisset S. Sedes in ea re investiganda, & excutienda? an tam multas

tas fecisset mutationes ? toties recognitionem ejusmodi causæ repetisset ? Adde, Jesuitas toto tempore, quo sub judice lis fuit, solemniter, ut jam dixi, & apertissime illud declarasse, nimirum se illico, ac sine cunctatione & exceptione cuivis super hac re S. Sedis decisioni obtemperaturos. En verba ipsa, quibus id professi sunt in vetere libello ( Protestas des Jesuites pag. 1 ) „ Si Summus Pontifex Decretum suum de „ *conditionali* mutabit in *absolutum*, sive ( ut „ melius dicamus ) si ultima decisione sta- „ tuet, eos ritus quidquam continere, quod „ ad idolorum cultum pertineat, protesta- „ mur, nos sincero animo promptos esse, „ ac paratos ad interdicendum illi Christi- „ anitati hujusmodi ritus.

Quæ cum ita sint, quo jure, quæso, & qua veritate dicuntur Jesuitæ superstitionis, atque idolorum cultus fautores? an quia promissis suis non steterunt? atqui fidem sanctissime liberarunt suam. Anno 1712 apud Episcopum S. Thomæ accusati sunt eo nomine, quod Cardinalis Turnonii Decretum non observarent. Episcopus faciundæ visitationis causa Ponticerium se contulit; rem mature examinavit, testes rite interrogavit, & postquam utriusque partis audivit testimonia, eaque diligentissime

me perpendit, die 5. Martii ejusdem anni ſententiam pronunciavit, qua declarabat D. Dominicum Turpinium Societatis Jeſu miſſionarium, Malabarenſium parochum Decreto Cardinalis Turnonii paruiſſe, & eccleſiaſticis pœnam *ſuſpenſionis* imponebat, laicis vero pœnam excomunicationis *ipſo facto*, ſi affirmarent, P. Turpinium, aut alios miſſionarios in eccleſiaſticas cenſuras incurriſſe eo nomine, quod commemoratum Decretum non obſervaſſent; eaque de cauſa cum iis *in divinis* communicare recuſarent; quam quidem ſententiam ipſi Cappucini in ſuis Ponticerii, & Arcis templis rite promulgarunt.

Unum hic modo quærendum ſupereſt, utrum poſt hanc ſolemnem abſolutionis ſententiam Jeſuitæ ſui diſſimiles fuerint, & S. Sedis Decretis reſtiterint, an contra ſine ulla tergiverſatione illis obtemperarint? id breviter videamus. Anno 1734 Clemens XII. decretum fecit circa ritus Malabaricos; de quo ſimul ac facti ſunt certiores Jeſuitæ, in manibus D. Dumas Ponticerii prætoris chirographum depoſuerunt ab ipſis ſubſcriptum, atque his verbis conceptum. „ Nos infra ſcripti proteſtamur per„ libenter nos velle decretum D. N. Papæ „ Clementis XII. accipere, & ſincere, at-

„ que

„ que ingenue obſervare, nec non ab aliis
„ quoque in noſtris miſſionibus perquam
„ accurate, ac religioſe obſervatur. Ponti-
„ cerii die 22. Decembr. 1735. „ Hujuſmodi chirographum ſubſcriptum a Patribus le Gac, la Lana, de Montalambert, Turpin, & Vicarii argumentum eſt non obſcurum ſubmiſſionis, atque obedientiæ Jeſuitarum, quandoquidem omnes ſumma voluntatum conſenſione ſponte ſua tam perſpicuam feſtificationem in manibus publici adminiſtri, qui Principis vices gerebat, depoſuerunt. D. de Videslou, quamvis a parte contraria ſtaret, tam perſpicuam, atque apertam Jeſuitarum obedientiam inficiari non potuit; ſic enim ad ſacram Congregationem ſcribit die 5. Januar. 1736. „ Orta,
„ occaſione Malabaricorum rituum, procel-
„ la tandem ſedata eſt virtute decreti S.
„ Sedis, cui omnes, & quidem peculiari
„ modo Reverendi PP. Jeſuitæ ſe ſubmi-
„ ſerunt. „ Rurſus hæc eadem ſubmiſſio autoritate ſumma ultimi ſuper hac re diplomatis Benedicti XIV. confirmata fuit. His Pontificis Max. litteris docemur, omnes Indiarum Miſſionarios, & nominatim eos, qui occaſione decreti Cardinalis Turnonii quidquam reclamarunt, decretis Clementis XII. plane, ac perfecte paruiſſe; eosdemque Miſ-

ſio-

ſionarios, ut argumento minime dubio ſuam erga S. Sedem obſervantiam teſtificarentur, ipſo Benedicto XIV. ad pontificium ſolium evecto, operam dediſſe, ut ad ejus manus perveniret ſolemne jusjurandum, quo fidem ipſi ſuam obſtringebant promittebantque immutabilem obedientiam his, de quibus ſermo eſt, decretis præſtandam.
„ His ita conſtitutis, atque mandatis ob-
„ temperantes omnes Epiſcopi, & Miſſio-
„ narii apoſtolici Regnorum Madurenſis,
„ Mayſſurenſis, & Carnatenſis, nominatim-
„ que, qui pridem contra Cardinalis Tur-
„ nonii decretum ſteterant, fide data, ſa-
„ cramentoque interpoſito exactam, inte-
„ gram, abſolutam, inviolabilemque obſer-
„ vantiam litterarum, quarum ſuperius ex-
„ emplum inſertum eſt, quodque incipit:
„ *compertum, exploratumque*, promiſerunt ſe-
„ cundum formulas aliis in litteris pontifi-
„ ciis expreſſas, quæ pariter enuntiatæ ſunt,
„ quæque incipiunt: *concredita nobis domi-*
„ *nici gregis.* Utque ſuum nobis ad ponti-
„ ficatus apicem evectis, ſanctæque Sedi fi-
„ dele obſequium, & ſubmiſſionem certo
„ probarent argumento, ad manus noſtras
„ exempla reddi curarunt ſolemnis jurisju-
„ randi, quod ſinguli præſtiterunt. „

His

His ita de Jesuitarum agendi ratione
mpliciter expositis, quid in ea quæso, re-
eriri potest, quod reprehensione dignum
sse videatur? Quoad res controversa in
idicio agitur, & causæ acta conficiuntur,
n non licitum est cuilibet parti omnes ex-
eriundi juris sui legitimas vias tentare,
ræsertim si hoc fiat cum debita erga tribu-
al reverentia, christianaque erga ipsos ad-
ersarios moderatione; & contestata denun-
iatione ingenuæ submissionis, atque obedi-
ntiæ definitivo judicis decreto præstandæ?
ronuntiata vero sententia, poteritne jure,
c merito ea pars reprehendi, quæ exci-
it, si judicato acquiescit sine ulla reclama-
ione, aut exceptione; atque erga pronun-
iatam sententiam eo modo se gerit, quo
neliorem judex ipse, qui pronuntiavit, op-
are non possit? atqui talis fuit Jesuitarum
gendi ratio; quoad nullum fuit decretum
efinitivum, ad suum judicem rationes suas
etulerunt, & omni ope sibi enitendum pu-
arunt, ut eæ rationes apud ipsum judicem
alerent; ubi vero definitiva constitutione
es judicata fuit, nihil reclamarunt, sed
umulatissime paruerunt.

Reliquum est, ut planum faciamus, de-
reta, quæ rituum Malabaricorum occasione
iversis temporibus prodierunt, absoluta

P non

non fuisse, sed per modum provisionis, u
ajunt, edita; atque ea sola, quæ postremu
a S. Sede emanarunt, absoluta definitivaqu
fuisse. Ad hanc rem demonstrandam no
aliis, quam ejusdem Fr. Norberti, & D. d
Videslou Claudiopoleos Episcopi testimoni
„ utar: „ *Deus immortalis!* (exclamabat an
„ no 1727. Claudiopolitanus Episcopus tom
„ I. pag. 504.) quando denique *absolutu*
„ *decretum* videbimus, unicum remedium
„ quod tantis malis mederi possit. „ Ann
1729. (pag. 515.) ad Pontificem scribit „ S
„ de Sententia sua non recessurum, quoa
„ S. Sedes judicium Roma missum non ac
„ ciperet. „ Anno 1732. (pag. 525.) ad sa
cram Congregationem scribens sic ait, „ N
„ hilominus oracula obmutescunt, & nos i
„ caligine, & tenebris jacemus . . . quoa
„ *terminata* non erit, ac perfecta Malabari
„ corum rituum causæ recognitio; quoa
„ res *judicata* non erit, pronuntiataque *ul*
„ *tima sententia*, & promulgata. „ Ann
1734. (pag. 534.) sic scribit ad D. Fouque
tum, „ Si Roma tandem aliquando velle
„ hujusmodi causam concludere, ac *definir*
„ multæ vitarentur offensiones. „ Addi
Fr. Norbertus „ Videbimus tandem in se
„ quenti libro hanc decisionem, quæ tant
„ ardore, ac desiderio in Indiis expectaba
„ tur.

„ tur. „ Idem Norbertus anno 1744. sic
it ( præfat. pag. VI. ) „ Missionarii nostri
„ non expectabant hujus negotii exitum;
„ ac solutionem, nisi ab autoritate supre-
„ ma, quæ sola debet de his rebus statuere,
„ ac decidere. „ Ex his omnibus D. de
Videslou, & F. Norberti testimoniis effici-
ur, annis 1727. 1729. 1734. id est, usque
ad pontificatum Clementis XII. itemque an-
no 1744. usque ad decisionem Benedicti
XIV. *finitivis demum mandatis*, & usque ad
editionem diplomatis *omnium sollicitudinum*.
Ejusdem Benedicti XIV. ( pag. 34. *totum
hoc gravissimum, & inveteratum negotium ...
tandem dijudicare, ac definire deliberavimus*)
causæ recognitionem perfectam; ac defini-
tam, non fuisse, neque rem judicatam, ne-
que pronuntiatam sententiam, neque edi-
tum absolutum decretum, neque hoc gra-
vissimum negotium decisum, & conclusum.
Qua igitur ratione; & qua veritate dicun-
tur Jesuitæ *rebelles & refractarii*, quemad-
modum eos passim nominat Fr. Norbertus?
*Rebelles* ne esse poterunt in causa, quæ non-
dum erat decisa & contra sententiam, quæ
adhuc pronunciata non fuerat? an refracta-
rii adversus decretum absolutum; quod;
teste ipso Norberto, & D. de Videslou; non-
dum emanarat? componat; si potest, iste

Norbertus res adeo inter se pugnantes; q
tandem erubescant ii, quos adhuc non pu
duit, tam infamis, tamque profligatæ fid
scriptoris autoritatem in Jesuitas proferr
Nam quid est aliud istius *historia*, nisi co
fusa quædam mendaciorum, calumniarum
rerumque secum ipsis pugnantium silva, i
formisque congeries; ex qua unum dumt
xat (nobis enim non vacat in hoc Augi
stabulo immorari) lubet attingere in speci
men videlicet reliquorum, quibus totu
istud famosum Norberti scriptum consta
Præfat. pag. 5. sic habet: *D. Maigrot plur*
*annos in vinculis fuit, eo quod in Imperio Si*
*nensi constitutionem* EX ILLA DIE, *& D*
*Turnonii decretum contra oppugnantes tue*
*voluerit.* O egregium, accuratumque histo
ricum! Constitutio *ex illa die* data fuit di
19. Martii 1715. Decretum D. Turnonii edi
tum fuit die 25. Januarii 1707. D. Maigro
ex Imperio Sinensi ejectus fuit anno 170
Quomodo igitur potuit D. Maigrot complu
res annos in vinculis esse, eo quod tuer
voluerit constitutionem, quæ edita non fuit
nisi novem post annis, quam ipse ex Sina
rum terris egressus est, & quod propugnar
voluerit pro observantia erga decreta, qu
non prodierant, nisi anno post, quam ips
profectus est? Quid plura? de istius opere

*Monu-*

*Monimenta historica*, satis fuerit illud animadvertere, videlicet jussu Pontificis Max. relatum fuisse ad tribunal S. Officii Romæ, atque hujus decreto 1. April. anni 1745. damnatum; ac tandem egregium hujusce scripti autorem Roma ejectum. Tum ille Cappucinis defecit, & Ordinem sanctissimum intolerando onere, maximoque opprobrio, atque ignominia liberavit. Aliud exinde sibi nomen assumpsit, & appellari voluit Abbas, Curel, Perisot, Platel.

Hunc egregium scriptorem sibi satis cognitum, ac probatum Ulissiponem Carvalius arcessivit, eique annuam septingentorum, & viginti mille regalium pensionem constituit, ut in Jesuitas scriberet; quibus ille partibus diligenter satisfecit. Duo illa opuscula, quæ nullus mortalium adhuc vidit, aut videbit unquam, alterum inscriptum: *Vita S. Annæ*, alterum *Historia imperii Antichristi*, a Malagrida, ut fingunt, in carcere conscripta merum fuisse boni Platelii commentum, multi non sine argumentis arbitrantur. Quid enim? abhorrebat ne iste Platelius a moribus illius *Falsarii* Norberti, qui suppostitiam Juliopolitani Episcopi approbationem, nimirum Episcopi manum mentitus, famosæ orationi funebri apposuit? qui, teste P. Thoma de Poitieres, alia mul-

ta in hoc ipſo genere factitavit ? Adde, quod abſurdiſſimæ delirationes, perridiculæ ineptiæ, fatuitas, & ſtultitia, quibus redundant illa fragmenta, quæ ex commemoratis Malagridæ ſuppoſititiis opuſculis excerpta eſſe dicuntur, ſane olent cerebrum hominis aut mente capti, aut ſuper, quam dici poſſit, ſtolidi, bardi, atque inſciti. Nego igitur ea Malagridæ fuiſſe : nam cujus Malagridæ ea fuiſſe dicamus ? Malagridæ ne mente capti ? at reclamant DD. Quæſitores, qui eum capitis damnarunt, et, quam maxima poſſunt contentione, nobis perſuadere conantur, Malagridam mentis compotem ea ſcripſiſſe : qua quidem tanta, tamque diligenti aſſeveratione exiſtimationi ſuæ conſulere voluerunt, ne ſcilicet quiſquam ſuſpicari poſſet, hominem amentem ob ea, quæ in amentia ipſa ſcripſiſſet, ultimo ſupplicio ab æquiſſimis judicibus affectum fuiſſe. An Malagridæ ſana mente utentis ? at quis ſibi perſuadeat, tam inepte, tamque ſtolide ſcribere potuiſſe Jeſuitam, qualis erat Malagrida, non mediocriter litteratum, & non modo in ſeverioribus diſciplinis ſatis eruditum, verum etiam in amœnioribus probe verſatum, ut argumento ſunt multa, quæ diverſis temporibus ſcripſit quorum nonnulla; cum in carcerem abreptus fuit, intercepta fuerunt, in quibus reperta eſt tra-

gœ-

gœdia inſcripta : *Aman*, opus ingenio elaboratum, perpolitum, & in ſuo genere perfectum ? Cum igitur opera illa neque Malagridæ mente capto, neque Malagridæ ſanæ mentis compoti adſcribi poſſint, reſtat, ut inſigni ſcriptori noſtro Platelio tribuantur ; præſertim quia neque hominis ingenium, neque confingendi quodlibet, comminiſcendique inveterata conſuetudo multum videtur ab hac ſcribendi ratione diſcrepare.

Aliud quoque non minus fabre dedolatum in lucem prodiit opuſculum, inſcriptum : *Acta confecta in cauſa Malagridæ*, cujus autorem fuiſſe Platelium, qui dubitet, eſſe arbitror neminem; quamquam, ne aliis quoque viris de religione, quam Malagrida violaſſe dicitur, optime meritis laudem ſuam invidere videamur, fatendum eſt, non ſolum Platelium in hoc opere allaboraſſe; laboravit & ipſe Carvalhus, cujus ſine dubio labor eſt operis exordium, ut ( præter alia indicia & firmiſſima teſtimonia ) ipſæ Carvalhiani ſtyli ambullæ, nihil niſi malitiam, atque inſcitiam ſignificantes ſatis indicant; laboravit et Fr. Manſilha. De iſto Manſilha alio in loco redibit ſermo. Ut alia prætereantur maledica in Jeſuitas ſcripta, uno contemptu propter ſtultitiam, atque

ineptias digna, quæ plurima in Lusitania Carvalhi jussu in lucem edita fuerunt, quædam tamen, quamvis paucarum pagellarum scriptura nobis prætereunda non est, cum non levem præseferat autoritatem, utpote quæ magnum tribunalis Censorii nomen in fronte gerit. Occasione magni terræmotus A. 1755. opusculum quoddam edidit Malagrida inscriptum: *Judicium de vera causa terræmotus, quam passa est Ulysipo die* 1. *Novembris anni* 1755. Prodierat hujusmodi scriptum cum debita facultate, & approbatione tribunalis S. Inquisitionis, antequam in eo tribunali Carvalhus tyrannice dominatus esset, illudque miserandum in modum lacerasset. Ecce autem multis post annis, quam hoc opusculum in lucem editum fuerat, delatum est ad Censorium tribunal, statimque ab eo reprobatum, damnatum, atque atroci censura confixum fuit. Hujus scripti autor Malagrida honoris gratia nominatur *infamis*, *furiosus*, *malitiosus*, *temerarius*, & *hæreticus*, non aliam ob causam, nisi quia in eo scripto dixisset, Deum illo terræmotus flagello punire voluisse publica peccata, quæ Ulysipone quotidie committebantur. Hui! siccine sentiunt, siccine loquuntur illi domini Censores, qui S. Fidei tribunalis adjutores in Lusitania dici volunt, & esse debebant? ego sane mihi non persua-

deo

deo, iſtos dominos hac cenſura reprobare voluiſſe, ac reprehendere S. Eccleſiæ doctrinam tamquam *infamem*, *furioſam*, *malitioſam*, *temerariam*, *&* *hæreticam*; novi tamen, atque id ipſum norunt omnes, proprium eſſe S. Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, peccatis commiſſis adſcribere flagella, quibus Deus interdum nos percutit, & palam fateri peccatorum noſtrorum pœnam eſſe calamitates, atque infortunia, quibus per hujusmodi cauſas ſecundas illatis quandoque ſubjacemus: nominatim vero contra ipſum terræmotus flagellum eadem Eccleſia ſic nos Deum præcari docet: Tuere nos Domine, quæſumus.... & terram, quam vidimus *noſtris iniquitatibus trementem*, ſuperno munere firma, ut mortalium corda cognoſcant, *&* *Te indignante*, *talia flagella prodire*, *&* *Te miſerante ceſſare.* Deus immortalis, quæ & quam deploranda recte ſentiendi principiorum mutatio in Luſitania!

Verum maximam famoſorum in Jeſuitas libellorum vim Romæ conſcribendam, edendamque Carvalhus curavit. Franciſcus Almada ejus neceſſarius, quem ipſe Fideliſſimi apud S. Sedem Regis legatum fecit, homo æque ſtultus, ac furioſus, proptereaque eo regii legati munere valde indignus,

 ut

ut Carvalhi mandatis cumulatissime satisfaceret, domi suæ typographicam officinam habebat, in qua laborabat quidam Nicolaus Pagliarinius. Sordidissimos quosque, obscurissimos scriptores mercede conduxerat; maxime ex religiosis familiis homines a sua professione incredibilem in modum devios, perditos, dissolutos, pudenda sacrorum ordinum recrementa. Ex hac officina novis, speciosisque titulis vestitæ atque ornatæ prodierunt omnes illæ rancidæ in Jesuitas calumniæ, & mendacia millies confutata, quæ omnia isti recentes plagiarii mutuati sunt ab antiquis profigatæ fidei scriptoribus, quorum libri ab utraquo tum profana, tum ecclesiastica potestate proscripti, damnatique fuerunt, & publici carnificis manu lacerati, atque in ignem conjecti. Nihilo meliorem Romæ, & in Hispania fortunam habuerunt hæc ipsa recentium plagiariorum furta. Tantam in Jesuitas scribendi, maledicendique impunitatem ægre Romæ ferebant ii omnes, qui a partium studiis erant alieni, quosque auro Lusitano Almada emere non potuerat. Ad Clementis XIII. aures res pervenit. Optimus Pontifex certior factus intolerandæ audaciæ frænum injicere constituit; idque non modo ipse Romæ fecit, verum etiam ad suum in Hispania legatum, sive ut appellant Nuntium

tium ſcripſit, omnes factionis Jeſuitis inimicæ libros reprobans & contemnans, atque invidentiæ & impietatis fructus appellans; eidemque legato mandavit, ut ipſe quoque in Hiſpania tot ſcriptorum calumniis in Societatem refertorum, quæ eo ex Luſitania & Roma perlata erant; licentiam omni ſtudio, ac diligentia coercendam curaret, quo factum eſt, ut ſupremum Hiſpaniæ conſilium ſeveriſſime interdixerit, ad flammasque damnarit chariſſima quæque Factioni ſcripta: Reſpublica Paraquariæ; Errores impii; Deductio chronologica & analitica; Obſervationes ad ſupplicem libellum P. Generalis; Appendix ad Obſervationes &c. ceteramque faraginem famoſorum in Societatem libellorum. Præterea ſupremum S. Inquiſitionis in Hiſpania tribunal propoſitis ſeveriſſimis pœnis hæc eadem ſcripta prohibuit, & in quosdam Regulares, qui ea vendebant, ac diſſeminabant, animadvertit. Romæ quoque in typographum Pagliarinium animadverſum fuit; mitius tamen, quam pro ſuo ipſe delicto expectare poſſet: auſus enim fuerat non modo in Jeſuitas contumelioſa, & mendaciorum plena, verum etiam nonnulla, quæ ipſam ſupremam, & maxime venerandam S. Sedis Majeſtatem lædebant, volente jubben-

benteque Almada furtivis prælis ſubjicere. Ex judicibus alii ſententiam capitis in Pagliarinium pronuntiarunt, alii ad triremes eum damnarunt; indulgentia tamen mitiſſimi Clementis XIII. uno exilio multatus fuit, Romaque ejectus; unde Neapolim ſe contulit, & Luſitani apud utriusque Siciliæ Regem legati patrocinio ſe commiſit. Carvalhus in Jeſuitarum, atque adeo in ipſius ſummi Pontificis odium plebejum hominem Equitem fecit, & annua penſione liberaliter auctum Ulyſiponem ad ſe accivit, perfamiliariterque ejus conſuetudine, & conſiliis uſus fuit. Carvalho Bombalium relegato, Pagliarinius Romam eſt reverſus, ubi penſione a Carvalho ſibi coſtituta, quam ei mira liberalitate ſolvit Luſitania, perfruitur, & multo cum Romanorum riſu curru vehitur, Equitis titulo, atque inſignibus ornatus.

## *Animadverſio IV. ad cap. 7. pag. 58.*

Dum Bahiæ D. Emmanuel Saldagna ſuo autoritatis maximæ teſtimonio una cum univerſa civitate Jeſuitas de mercaturæ, ac ac negotiationis calumnia juratus purgabat; alia omnia Ulyſipone faciebat germanus ejus frater D. Cardinalis Saldagna Luſitanorum Jeſuitarum Viſitator Apoſtolicus. Is

ut

ut muneris ſibi commiſſi poſſeſſionem rite capeſſeret, ad Ulyſiponenſem Jeſuitarum profeſſorum domum ſe contulit pridie Kalendas Junii. Convenerunt Patres, adfueruntque omnes, ut Viſitatori ſuo obſequium præſtarent, atque obedientiam profiterentur, quibus ille præſentibus pene flens dixit: *ſe eum eſſe, qui correctione indigeret, non autem Societatem Jeſu, in qua probe ipſe ſciebat nihil eſſe, quod merito reprehendi poſſet, utpote qui laudabilem ejus vivendi, agendique rationem penitus cognitam perſpectamque haberet.* Quarto ab hac ingenua confeſſione die, id eſt, 4. Junii omnes Jeſuitas mercaturæ, ac negotiationis eccleſiaſticis viris per ſacras Eccleſiæ ſanctiones vetitæ convictos ſolenni edicto declarat; ſibique de hac re certo, atque evidenter liquere affirmat. Equidem hanc D. Cardinalis Saldagnæ in ea re tam evidenter cognoſcenda perſpicacitatem haud ſatis mirari poſſum. Ille quidem neminem interrogavit, rationum libros non popoſcit, neque unquam vidit; qui ergo fieri potuit, ut quatriduo de mercatura & negotiatione tam longe lateque patente, nimirum diverſis in locis, iiſque valde longinquis, ab omnibus Jeſuitis exercita tam certo, tamque evidenter cognoſcere poſſet? ſcilicet inſigni doctore Carvalho uſus eſt;

eo

eo præcipiente hæc omnia ftatim perdidicit, ac perfecte calluit. Sic, eo docente, plures Epifcopi didicerunt ea Jefuitarum fcelera, quorum in fuis paftoralibus inftructionibus eos coarguunt. Sic eo docente, didicerunt magiftratus informi judicio, nulloque fervato juris ordine, regni Optimates perduellionis damnare, & crudeliffimo supplicii genere interficere. Sic eo præcipiente, atque adeo verbis, quid judicarent, præeunte, S. Inquifitionis judices didicerunt Malagridam tamquam hæreticum condemnare & comburere. Tantam ergo Eminentiffimi Vifitatoris perfpicaciam mirari definamus: quid enim miremur hunc dominum, qui certe non *tam cernebat acutum, quam aut aquila, aut ferpens Epidaurius*, potuiffe quatriduo omnium Jefuitarum mercaturam cunctis in locis folis luce clariorem videre; qui hæc omnia, monftrante Carvalho, multo ante providit; quam vifitationi fuæ initiem daret? quindecium enim ante diebus, quam vifitationem iniret, fuum iftud edictum ab ipfo fubfcriptum legimus. Monftra, & prodigia! fed quæ in Lufitania, dominante Carvalho; & prodigia & monftra effe defierunt.

## *Animadverfio V. cap. 8 pag. 68.*

Ad cætera incommoda, quæ plurima, & gra-

graviſſima pertulerunt Jeſuitæ in longa ex Braſilia Ulyſſiponem verſus navigatione, accedebat victus penuria; is enim æque viliſſimus erat ac tenuiſſimus, adeo ut eo vitam ægre ſuſtentare potuerint; ſive hoc tribuendum ſit eorum avaritiæ, quibus data fuit cura providendi, quæ navigaturis neceſſaria eſſent; qui nimirum maximam regiæ pecuniæ ad id ſibi traditæ partem uſui ſuo reſervantes, perparce, atque admodum ſtricte providerunt, probe intelligentes a Carvalho boni conſulendum, quidquid in Jeſuitarum damnum afflictationemque feciſſent: ſive aperte ſic juſſerit Carvalhus; nam quid aliud Jeſuitæ ſibi expectare poſſent ab homine non modo crudeli, verum etiam ſordido, & in magna penuria educato, qui viliſſimo pane *Broa* dicto, quo ruſtici & egentiſſimi in Luſitania victitant, propter ſummam rei familiaris anguſtiam in obſcuro pago *Soure*, unde erat oriundus, veſcebatur? quid aliud expectare poſſent ab eo, qui mortuo vitrico homine copioſo, omne æs domeſticum ad ſe tranſtulit, ſcilicet ut vidam matrem, bonorum hæredem a marito ſuo inſtitutam eo onere levaret; quam in ſacrarum virginum æde profanis curis vacuam eſſe juſſit, ſeveramque religioſa in domo paupertatem colere, tam vili pen-

pensione alimentorum nomine ei constituta, ut optima fœminæ, & plane dignæ, quæ haud Carvalhi mater esset, fame esset pereundum; nisi a Jesuitis ei crebro succursum fuisset.

## *Animadversio VI. ad cap. 13. lib. II. p. 134.*

In tot tantisque calamitatibus, quas Carvalhi opera perpessi sunt Jesuitæ, nihil eis molestius atque acerbius accidere potuit, quam P. Gabrielis Malagridæ supplicium. Metuebat Carvalhus, ne Malagrida pro ea, qua florebat apud omnes gratia & sanctitatis opinione, tyrannicæ administrationis progressum serius ocyus interpellaret, regemque de justis in administrum suum publicis querimoniis aliquando edoceret; atque hæc cogitatio hominis animum vehementer torquebat. Accessit parum prudens ipsius Malagridæ consilium, qui data opportuna occasione Carvalhum convenit, eumque privatim officii sui commonuit, per Deum obtestatus, ut publicam offensionem sedaret, quotidianisque civium querimoniis occasionem præcideret. Cui ille tum moderate respondit. Hinc vero odium intestinum, quod ipse in Malagridam ejusque Societatem fovebat, incredibilem in modum exarsit. Quare eum de medio tol-

ollere ſeque eo metu, quo noctes dieſque an-
gebatur, quam primum liberare apud ſe con-
ſtituit. Itaque omni ope atque opera inno-
centi homini mortem maturavit, ac primum
quidem commentitiæ in regem conjuratio-
nis, quam ipſe ad perdendos regni optima-
tes, a quibus plurimum quoque ſibi metu-
ebat, machinatus eſt, Malagridam non mo-
do conſcium & participem, ſed caput eſſe
voluit; quoniam vero, quamvis nihil non
tentaſſet, efficere tamen non potuit, ut evi-
dentiſſime inſontem parricidii nomine dam-
naret, atque interficeret, eum ex parricida-
rum carcere ad carcerem S. Inquiſitionis
transferri juſſit tamquam religionis reum
iniquiſſima poſt natos homines ſententia op-
primendum, & capitis pœna multandum.
Multa nihilominus obſtabant, quominus im-
pium crudeliſſimi adminiſtri concilium per-
fici poſſet. Erat in eo tribunali ſupremus
Quæſitor, integerrimus princeps D. Joſe-
phus de Bragança, quem certo ſciebat Car-
valhus eum non eſſe, qui ullo pacto adduci
poſſet, ut contempta æternæ ſalutis ſuæ ra-
tione neglectaque ſanguinis ſui regia digni-
tate innocentiam omnibus cognitam & per-
ſpectam condemnaret, aut condemnari pa-
teretur; quare de eo removendo omni ope
ac ſtudio cogitavit; & re ipſa, quodam a-
pud regem, ejusdem D. Quæſitoris fratrem,

Q quæ-

quæſito colore eum removit; atque in religioſam Carmelitanorum excalceatorum domum, in ſolitudine *Buſaco* dicta poſitam amandavit. In ejus locum impudentiſſime ſuffecit germanum fratrem ſuum Paulum Carvalhum, hominem bardum ac ſtolidum, tantæque ſtupiditatis ac ſtultitiæ, ut ad excitandos de ſe hominum riſus unice natus eſſe videretur. Totum collegium Canonicorum, Præſulum, Principalium patriarchalis Baſilicæ Ulyſſiponenſis; dum ipſe in infimo hujusce collegii ordine fuit, ex ſingulari ejus ſtultitia & ſtoliditate riſum oblectationemque captare conſueverat; omnes eum multifarie ludebant: alii palpos ei per jocum impingebant; alii, quaſi vellent *Carvalhum* dicere, parva litterarum mutatione *caballum* nominabant. Hunc truncum, ac ſtipitem germanus ejus frater Carvalhus ſupremi Quæſitoris titulum ſuſtinere juſſit. Alterum obſtaculum erat Egregius Dominicanus P. Franciſcus a S. Thoma, vir doctrina non minus quam probitate clarus, dignus plane ſanctiſſimi ac doctiſſimi ordinis filius. Hunc quoque Carvalhus ad ſententiam ſuam perducere ſe poſſe deſperabat; quapropter hunc etiam removit, eique ſucceſſorem dedit quemdam Manſilham. Quid autem hominis fuit iſte Manſilha? fuit vile

quod-

quoddam Carvalhi mancipium, qui nullam illustrissimi Ordinis, cujus indignum erat membrum, rationem habens, ut hero suo morem gereret, & turpissimum de re sordida lucrum faceret, non dubitavit in Carvalhiana de superioris Durii vino Societate procurator esse & exactor & coactor, & tabernariorum, cauponumque inspector, & quadruplator. Hominem ob præclara ejus in se merita Carvalhus large est remuneratus; nam præter pecuniam non exiguam, quam ex vino percipiebat Mansilha, eum præpotens administer perpetuum Dominicanorum Lusitanæ provinciæ præsidem declaravit; imo & in tribunali S. Inquisitionis judicem fecit, quo in loco ejus opera in Malagridam peropportune abuti posset. Unum dumtaxat ex antiquis quæsitoribus & judicibus in pristino gradu ac loco retinuit D. Nunum Alvares Pereira, hominem paterno quidem genere nobilissimum, erat enim filius nothus excellentissimi Ducis Cadavalensis; cætera pecudem intemperantissimam, & bene pinguem, abdomini suo natam, suæque in venerem libidini. Hic nescio qua de causa Jesuitis erat vehementer infensus, atque idcirco Carvalhi consiliis peropportunus. Deformato igitur in hunc modum ac penitus mutato S. Inquisitionis tribunali, Carvalhus horum taliumque trium

judicum Pauli, Manſilhæ, ac Pereiræ operâ, & miniſterio conſilium ſuum ad optatum exitum perduxit; imo in eo Malagridæ judicio iſte unus ſuo arbitratu omnia perfecit: ipſe accuſavit; ipſe teſtimonium dixit; ipſe acta confecit; ipſe judicavit: atque ita inviſum ſibi hominem ſtrangulavit, flammiſque addixit.

Hic fuit celeberrimi Malagridæ finis: Quem Maranonia, quem Braſilia univerſa, quem tota vidit Ulyſſipo apoſtolicis laboribus ſemper intentum, unam Dei gloriam animorumque ſalutem ſtudioſiſſime promoventem: quem plurimi domi, foriſque incredibili curioſitate obſervaverunt, nec quidquam in eo reperire unquam potuerunt, quod ab externa illa vitæ auſteritate ac ſanctitate diſcreparet: quem ſummi infimique ob præclara ejus in omnes merita, cum cæleſtium atque æternorum rationibus ſemper conjuncta, veneratione maxima proſequebantur: quem Rex ipſe Joannes V, vir acerrimi judicii & ſingularis perſpicaciæ, ob cognitam ſibi perſpectamque hominis ſanctitatem plurimi faciebat: hunc unus Carvalhus una voce fratris ſui Pauli, Pereiræ, ac Manſilhæ flagitioſum, impium, ſacrilegum religionis violatorem declarat, eumdemque malitioſum ſanctitatis ſimulatorem

rem fuisse clamat. Quoniam igitur ita clamat, credamus: mentiri non solet vir optimus.

Ad tres Malagridæ judices quod attinet, Paulus ad altiorem gradum ascensurus erat, nisi mors obstitisset. Ejus frater Carvalhus, qui supremo Quæsitore Paulo S. Inquisitionis tribunal polluerat, ac turpiter fœdarat, eodem voluit sacrum quoque, ac maxime venerandum Cardinalium Collegium fœdare, atque adeo polluere; multum enim operæ posuit apud Clementem XIV, ut Paulus in id Collegium cooptaretur. Clemens, qui animo erat comparatus omnia potentis administri causa facere, quamquam ignorare non poterat indignitatem candidati, eum nihilominus in frequentissimo purpuratorum patrum consessu Cardinalem renuntiavit die 29 Januarii 1770, id est quarto post die, quam ille Ulyssipone erat mortuus; mortem enim obiit 25 ejusdem mensis atque anni die. Carvalhus fratris adhuc non Cardinalis cadaver, Cardinalis tamen vestibus indutum efferri, atque in sepulcrum inferri jussit. D. Nunus Alvares Pereira haud multo post tempore a pronuntiata in Malagridam sententia infeliciter obiit; nam in ipsis pene brachiis concubinæ, quam misere deperi-

 bat,

bat, animam efflavit. * Manſilha diutius potitus eſt iniquitatis ſuæ fructu, tandiu videlicet, quandiu patroni ſui Carvalhi potentia tenuit; ubi is vero fortuna excidit, & reus atrocium atque innumerabilium delictorum in judicio convictus, & judicum ſententia damnatus capitis, ſingulari tamen Fideliſſimæ Reginæ Mariæ I clementia, ultimo ſupplicio in perpetuum exilium commutato, Pombalium relegatus fuit; ipſe quoque Manſilha in carcerem conjectus, & actis rite confectis reus nocens convictus graviorem, quam pro delictis ſuis pœnam merebatur, ejuſdem clementiſſimæ Reginæ indulgentia declinavit, & perpetui exilii nomine ad longinquam ordinis ſui domum amandatus fuit, ubi tandem eſt mortuus. Utinam ante obitam mortem *malorum, quæ fecit in Iſrael*, eum ſerio pœnituerit!

## *Animadverſio VII. ad cap.* 13. *lib.* 2. *p.* 135.

Erat quidem Carvalhus ſupra modum ambitioſus; eo ſtudia, cogitationesque ſuas omnes intenderat, ut ex tenui conditione ad altiorem fortunam ſe extolleret, ac cæteris omnibus, ſi fieri poſſet, honorum gra-

* Ait quidam, eum adhuc ante obitum concubinam dimiſiſſe.

gradu atque opum magnitudine antecelle-
ret. Artes omnes adhibebat, quibus ad
hujusce optati ſui terminum obrepere ſe
poſſe arbitrabatur; perfamiliares autem illi
erant artes adulari, mentiri, in potentium
fidem & clientelam ſe conferre, ad abjectiſ-
ſimas quasque preces ſe demittere; dolos,
fallaciasque moliri & architectari; eos, qui
apud regem gratioſi eſſent, impenſe colere,
prenſare, ambire, perſalutare. His artibus
& ſimulationibus illud eſt aſſecutus, ut bo-
nis Jeſuitis imponeret, qui tamen omnium
mortalium ſagaciſſimi eſſe dicuntur, ( adeo
in ferendo de Jeſuitarum rebus judicio hal-
lucinantur homines! ) Itaque Jeſuitarum
nonnulli, in primis vero P. Joſephus Mo-
reira, vir bonus, & moribus integerrimis,
ſed valde ſimplex, & P. Franciſcus Portu-
gallius, filius Marchionis de Valenza, vi-
rum talem in paupertate jacere, tamque
afflicta fortuna eſſe perdolebant, atque omni
ope nitebantur, ut quibuscunque rebus
poſſent, amicum hominem juvarent; præ-
cipue P. Portugallius, ut erat animo erga
omnes perbenevolo, & ad gratificandum
cunctis mortalibus ſuapte natura propenſo,
Carvalhum patri ſuo ſæpe numero atque im-
penſe commendabat, ut ei aliquid muneris
publici a Rege Joanne V. impetraret. Mar-
chionem Rex plurimum diligebat, ejusque

Q 4 per-

perfamiliari consuetudine utebatur; & ultimis vitæ suæ annis, cum multis & gravibus valetudinis incommodis affectus domo egredi non posset, eum frequenter accersebat, ut ejusdem præsentia & colloquio, quod sibi erat gratissimum, incommoda sua leniret. Per idem tempus rex optimus, quamquam valetudine haud parum impediebatur, quotidie nihilominus publicis negotiis conficiendis expediendisque operam dabat, & ope unius Petri da Motta ( nam paulo ante vita functi erant duo alii ab intimis consiliis administri Antonius de Azevedo, & Antonius Guedes de Miranda ) res omnes perficiebat, quæ ad publicam administrationem pertinerent. Cum igitur die quodam solus cum ipso commemorato marchione de Valenza in intimo conclavi esset, familiariter colloquens de vice sua in hunc modum est conquestus: *quonam fato meo fieri dicam, marchio charissime, ut totum publicæ administrationis onus sine adjutoribus mihi sustinendum sit, cum invenire possim neminem, qui ad ministerium publicis in rebus mihi præstandum satis idoneus esse videatur.* Cui marchio: *si rex*, inquit, *pace tua mihi dicere liceret, dicerem utique in hominibus imperio tuo subjectis viros esse, qui operam tibi suam ea, qua par est, fide, sedulitate, ac diligentia præ-*

*stare*

*ſtare poſſent.* Tum rex : *ex iſtis*, inquit, *quos eo in munere ſatis mihi facturos eſſe confidis, unum mihi nomina.* Atque illico marchio: *primus in mentem mihi venit, ut alios præteream, Sebaſtianus Joſephus Carvalhus, qui majeſtati tuæ legationibus non ſemel obitis operam ſuam navavit.* Hic rex marchionem interpellans: *deſine*, inquit, *iſtum mihi nominare: an ignoras, quid hominis ſit Carvalhus? ſetas habet in corde. Nunquam igitur id committam, ut opera & miniſterio utar ejus hominis, cujus crudelitate multæ in imperio meo perturbationes & calamitates oriantur, neceſſe eſt.* Hoc dicendi modo: *ſetas habet in corde:* utuntur Luſitani ad ſignificandum hominem, qualis erat Carvalhus, mortalium immaniſſimum, & quavis bellua quamvis crudeliſſima, multo crudeliorem. Obmutuit marchio, neque amplius auſus fuit hominis regi ſuo adeo inviſi atque odioſi patrocinium in ſe ſuſcipere. Utinam ſapientiſſimus rex Joannes V. quemadmodum Luſitanis reliquit digniſſimum ſui hæredem & ſucceſſorem optimum regem Joſephum I, ſic quoque hanc Carvalhi notionem in ejus animo impreſſam atque alte defixam reliquiſſet! nihil profecto aliud requirebatur, ut Joſephus ad populorum ſibi ſubditorum delicias factus ac natus eſſe videretur.

At rex Joannes V. non modo propter sibi notam Carvalhi crudelitatem eum à publico ministerio arcebat, verum etiam quia ad rem bene gerendam prorsus ineptum esse cognorat. Et re ipsa in duabus illis, quas ante gesserat, legationibus nihil effecit, quod habilem idoneumque administrum ostenderet; sed potius, cum vel in re perfacili, quale fuit Viennensis legationis negotium, nihil concluserit, satis apparuit, eum ad publica ministeria muneraque gerenda plane inhabilem esse atque ineptum. Erat ille quidem inani quadam loquacitate ad speciem eloquente, qua primo aspectu attentionem conciliabat orationi suæ, & lepore quodam in aliorum animos se insinuabat; mox vero cum & circumspectio & perspicuitas eum deficeret, delata sibi munera cum dignitate sustinere non poterat; & prorsus illiteratus, atque in omni disciplinarum genere valde hospes & peregrinus, quæcunque mente concepisset, perspicue, apposite ac dilucide exponere nesciebat. Quæcunque ab eo fiebant rerum negotiorumque expositiones, ita erant inordinatæ, perplexæ, & confusæ, ut intellectu difficillimæ evaderent. Hinc prudentissimus rex Joannes V. qui mira erat sagacitate in internoscendis ministrorum suorum inge-

ingeniis, facultatis, qua quis ad agendum polleret, justissimus æstimator, Carvalhum nihili faciebat. Quotiescunque Marcus Antonius de Azevedo, qui ei erat a secretioribus consiliis, Carvalhi litteras Londino missas erat recitaturus, rex auscultare nolebat, & fastidiose stomachans: *facesse hinc*, ajebat; *haud enim ferre possum istius garrulitatem & scribendi rationem tantum satietatis afferentem ac fastidii.* Tum responsiones ad eum breves illas quidem & concisas, sed gravibus verbis, multamque reprehensionem continentibus dari jubebat. Hanc ob caussam Carvalhus intestinum & implacabile in sapientissimum regem Joannem V. odium coquebat; & postea Ulyssiponem reversus, cum ob rem Londini male gestam ad nullam publicæ administrationis partem admissus vitam privatam degere cogeretur; ut erat impotentissimo furore ad ulciscendas injurias, quas sibi factas esse existimaret, difficile est dictu, quam intolerabili petulantia reprehendere auderet atque adeo irridere consilia quæque & mandata, quibus rex publico bono sapienter providebat: multa interim de se putide atque impudenter prædicans, & vulgo jactans, se probe callere omnem rerum politicarum rationem, qua publico civium bono vere consuli posset ac deberet.

Et

Et fortaſſe aliqui, apud quos putidus iſte ſui buccinator crebro hæc prædicabat, ſibi perſuadebant, ſub ſordido Carvalhi palliolo ſapientiam delitefcere; atque ille quidem, ubi publicam, ad quam vehementiſſime aſpirabat, adminiſtrationem attigit, ſatis oſtendit, quam probe artes omnes omnemque rationem calleret, evertendi Luſitaniam univerſam; labefactandi religionem, ac, ſi fieri poſſet, funditus tollendi; Optimatum atque innocentium civium ſanguinem crudeliſſime fundendi; domum ſuam immenſis opibus locupletandi; depeculandi regium ærarium; diripiendi privatorum domos; omnia devaſtandi. In reliqua vero tantarum rerum adminiſtratione quam ſcite & quam ſapienter ſe geſſerit, cum omnia percenſere ſingulatim non poſſimus, unum ſaltem attingemus, ex quo cætera quisque metiri queat. Initio adminiſtrationis ſuæ de re graviſſima, nimirum palea legem tulit, quæ lex pro mira hominis in ſcribendo perſpicuitate cum minime intelligi poſſet, ipſe rem maturius ac multo ſtudio ruminatus, ad eam legem interpretandam ac dilucidandam ſex alias fecit ſcripturas; quarum tamen ſenſum capere nemo adhuc potuit. En clariſſimus ætatis noſtræ Lycurgus, qui Joannis V. ſapientiſſimam gubernandi rationem carpere audebat & inſolenter irridere.

Hæc

Hæc autem obtrectandi optimo regi Joanni V. intoleranda istius hominis insolentia crevit præter modum, cum ipse in patriæ cladem ac perniciem arbitratu suo publicam rem administrare cœpit; quoniam enim tunc ei licebat, quæcunque libuisset, & loqui & scribere, nullam occasionem prætermisit, obscurandi clarissimam Joannis V. memoriam, illustria quæque ejus facta deridens, totamque adeo, quam ille regendis populis sibi subditis prudentissime tenuit, rationem petulantissime vituperans. Totos ipsos viginti septem annos, quibus Lusitaniam hic Sejano pejor administer infestavit atque oppressit, nunquam cessavit de Joan. V. regimine detrahere, nunquam destitit eum regem optimum ubique vellicare, carpere, rodere, ac maledico dente mordere. Quid Carvalho doleret, & cur tam furiose in regem Joannem V. maledictis inveheretur, boni omnes intelligebant; sed propter impotentissimam hominis crudelitatem obmutescendum illis erat; at nequissimi impiissimique homines, qui, quam rege Joanne V. profecto non habuissent, in summa scelerum suorum impunitate sub Carvalhi patrocinio vivebant, ut patrono suo gratificarentur, venerandum tanti regis nomen atque existimationem per calumniam proscindendi nullum finem faciebant. Porro hanc sceleratissimam in

in clarissimum regem Joannem V. maledicorum sectam tam altis radicibus fundatam Carvalhus reliquit, ut nunc etiam de illo grege multi reperiantur in Lusitania; imo ad internoscendum, quinam sint de grege Carvalhianorum; id est, de numero impiorum hominum, & patriæ religionique inimicorum, nulla est nota certior atque evidentior, quam uniuscujusque de rege Joanne V. loquendi ratio & consuetudo: qui male de illo rege loquuntur, eos Carvalhianos esse, nemo est qui dubitet.

## *Animadversio VIII. cap. 13. pag. 135.*

Utrum Carvalhus cæteris hominibus crudelitate, an rapacitate antecelluerit, difficile est judicatu; in utroque sane genere perquam fuit insignis. Ex infinitis cædibus & rapinis in cujusvis conditionis atque ordinis homines ab isto exercitis ac perpetratis pauca hinc perstringemus. Ad cædes quod attinet, & ad quotidianum sanguinem ab isto Lusitaniæ Phalaride omnium tyrannorum crudelissimo indignissime ac per summam sævitiam fusum, initium ducamus ab illa horribili Optimatum carnificina. De vero autem horum delicto breviter nobis ante dicendum est. Hominis prope novi atque adeo in postremis hominibus fere nume-

merandi, qualis erat Carvalhus; insolentiam, superbiam & arrogantiam æquo animo ferre non poterant proceres illi summo loco nati, quorum alii regem ipsum cognatione attingebant; alii per nunquam interruptam clarorum virorum seriem ex domo erant ipsis Lusitaniæ regibus antiquiore; alii denique ex familiis pervetustis, & ob præclara majorum gesta & bellicam laudem de patria optime meritis. Hominem igitur natalibus longe infra se positum, intoleranda dominatione superbientem, despicatui habebant, & quanto ipse elatius atque insolentius se gerebat; tanto eum apertius aspernabantur, neque amicitia neque sua ipsum consuetudine dignabantur. Nihilominus Carvalho, qui plurimum & autoritatis & opum jam erat consecutus, nihil erat optatius, quam ut in iis primariis familiis cognationes & affinitates nancisci posset. Quare nihil secum reputans, quantum *distarent æra lupinis*, fretus gratia & potentia, qua florebat, non dubitavit palam & aperte petere, ut nobilissima virgo e domo *Tavoræ* filio suo natu maximo nuptum daretur. Excepta fuit cum risu & contemptu audax hominis postulatio, atque illi hoc responsi datum: *alta petis, Phaeton, sed quæ non viribus istis.* Hoc unum fuit verum Lusitano-

rum

rum procerum delictum. Incredibile est dictu, quantum furoris atque odii ex hac repulsa contemptuque ceperit homo impotentissimus. Ex illo die omnia fanda & infanda tentare constituit, ut se plene cumulateque ulcisceretur, et, quibuscum in gratiam venire non poterat, eos omnino de medio tolleret. Videbat autem, fieri non posse, ut viros tales opprimeret ac perderet, nisi eos infidelitatis nomine regi gravissime suspectos redderet. Sensim itaque ac pedetentim regis animum præparavit. Tum denique opportunam nactus occasionem ei persuasit de conjuratione in sacrum ejus caput facta. Commentitiæ conjurationis prima capita finxit esse D. Josephum Mascarenhas Ducem Aveirensem, D. Franciscum Assisium Marchionem de Tavora, D. Hieronymum de Atnide comitem Atouguiæ. Rex plenus timoris, quamvis nullum antea de istorum optimatum infidelitate ne levissimum quidem indicium habuisset, non tamen putavit, Carvalhum in re tanta mentiri potuisse. Quare ipsi Carvalho homini diligentissimo, qui suam erga regem fidelitatem quotidie polliceri atque adeo prædicare non desinebat, rem totam permisit. Ille igitur ad libidinem suam omnia perfecit. In teterrimas custodias, quas ad modulum crudelitatis suæ extruendas curaverat,

ıt, detrufit Marchionem de Tavora, duos
us filios, duos item ejusdem fratres, du-
ſque generos comitem Atouguiæ, & Mar-
ıionem Alornæ, præterea D. Emmanuelem
e Souza Calharifium; qui omnes, nemine
ıte tefte interrogato, innocentiæ fuæ con-
ientia nihil tale fibi metuentes, improvifo
ıpti & comprehenfi fuerunt. Hic unum
ræteriri non debet; quod haud fatis fcio;
ıagisne fingularem Carvalhi vigilantiam,
ı celeberrimæ ab ipfo textæ conjurationis
eritatem declaret planeque confirmet. E-
ıt, fi uni Carvalho credimus, Dux Avei-
ınfis primum conjurationis caput; nihilo-
ıinus in mandato de abducendis in vincula
ıis conjurationis, quod ipfe judici rem exe
ıturo tradiderat, Aveirenfis Ducis nomen
on erat. Cæteris igitur comprehenfis at-
ue in carcerem conjectis, redit ad Carval-
um judex, ejufque mandato fatis fe feciffe
ıntiat. Cui Carvalhus: *Ducemne perdu-
ſti bene conſtrictum, ac ligatum? Quem du-
m?* refpondit Judex. *Quid?* vociferatur
arvalhus incredibili furore atque ira per-
tus: *Ducem non comprehendiſti? Ego vero*,
ępofuit Judex, *in mandato de comprehenden-*
*s reis ullius Ducis nomen non lego*; eique
ıandatum oftendit, quod ab ipfo acceperat.
rrorem & negligentiam fuam vidit Carval-
us, nihilominus judicem abs fe cum furo-

re dimittit negligentiæ nomine acriter reprehensum; & prima luce consequentis diei equitum turmam contendere jubet Azeitamum versus, ubi Dux Aveirensis in suburbano suo, nihil de tanta sua calamitate suspicans, ad fruendas ruris delicias commorabatur; atque ibi comprehensus improviso fuit, & in carcerem abductus. Quid, quæso, de hac Carvalhi oblivione dicendum putamus? Hui! itane in re tanti momenti oblivisci potuisse Carvalhum, ut cum diligentissime ageret de capiendis suæ conjurationis reis, ejus non recordaretur, quem primum istius conjurationis caput esse nobis persuadere tantopere nitebatur? Nunc infelicium optimatum in vinculis detentorum statum perquam acerbum ac luctuosum breviter exponerem, nisi animus refugeret, eaque dicere reformidaret, quæ tam sunt inhumana, ut in nulla vel barbara natione quisquam tyrannus tale aliquid committere auderet. Stabula erant fœtida & obscura, quibus ante magnum terræmotum feræ regis continebantur; quæ tamen post terræmotum, ne solutæ populo nocerent, interfectæ sunt omnes. In has igitur caveas, quas Carvalhiana crudelitas angustissimis fabricatis Loculis longe horribiliores fecerat & obscuriores, conjecti erant infelices isti Lusitani regni primores, qui patriæ & per-

se

ipſi ornamento erant ac præſidio, & per
jorum præclara domi bellique geſta de Lu-
ino imperio erant optime meriti ; hic
reis catenis onuſti tamquam beſtiæ humi
ent ; viliſſimo cibo miſerrimam vitam to-
ant per acerbiſſimos cruciatus ipſis pro-
diem eripiendam, ab omnibus deſerti ac
relicti, incredibili animi ægritudine con-
ti, extremoque luctu & ſquallore conta-
ſcentes.

Interea Carvalhus, qui hæc omnia in
itos ac tales viros, cauſa penitus incogni-
, ac ne inchoata quidem feciſſet, edictum
gis nomine promulgavit, quo rex univer-
; ſibi ſubditos de inita & tentata in ſe
njuratione edocebat ; magnaque iis præ-
a pollicebatur, qui autores, & quoslibet
s conjurationis conſcios ac participes de-
ntiaret : *Si*, inquit, *erit nobilis*, *ad altiores*
*ilitatis gradus evehetur* ; *ſi plebæjus*, *magna*
*unia donatus in nobilium ordinem cooptabi-*
. Promulgato hoc decreto, quis tandem
tis acceſſit ? Unus ; ſed ita gravis, ut ei
lla dari poſſit exceptio; nimirum ſutor,
ſcio quis, qui ultimam quamdam domus
veirenſis ancillulam adamabat. Habemus
tur in re tanta unum dumtaxat teſtem,
mque ſutorem. Qui autem novit ſutor
e ? quia videlicet ancillulæ domus Avei-

renſis amator erat. Quid tum? ex illa fo
taſſe rem didicit. Audio. Neceſſe igit
erat, hanc ipſam ancillulam de ea re inte
rogari. Numquid interrogata fuit? neſci
Extatne aliquod ejus in reos teſtimonium
nullum omnino. Jam vero ſutor iſte anci
lulæ amator quando denuntiavit? eo nim
rum tempore, cum futurum videbat eſ
neminem, qui refellere auderet eumqu
mendacii arguere, & ad meritam debitam
que talionis pœnam depoſcere, ſi ipſe fa
ſum teſtimonium diceret in inſontes optima
tes, qui jam in vinculis tenebantur, Carva
hiani furoris atque odii victimæ morte cru
deliſſima, ut omnes pro certiſſimo habe
bant, ſine dubio mactandæ, neque ex ii
unquam caveis, niſi ad horrendam carnifi
cinam exituræ. Cur autem denuntiavit bo
nus ſutor a ſutrina taberna transferendu
ad nobilium ordinem & ingentem pecuni
am accepturus, ſi denuntiaret? ſcilicet ne
fas ſit ſuſpicari, obſcurum atque infimæ ple
bis hominem, ut ex paupertate & ignobi
litate ad meliorem fortunæ conditionem per
veniret, in optimates, a quibus nihil time
re poterat, falſum teſtimonium dicere po
tuiſſe.

Hoc uno tantæ autoritatis ac fidei teſti
monio ſatis inſtructus & munitus in ſuum
ſe

conclave intimum recondit Carvalhus: solus reorum acta per se ipse conficit: ceſſe non eſt quærere, quam ſcite, quam ienter, quam conſiderate hujusmodi acta ifecerit vir litteratus, cujus perplexam ifuſamque ſcribendi rationem, & ſtoli-n loquacitatem ferre non poterat rex nnes V. Scriptura iſta, ut uno verbo di-n, Carvalhum olet. Cum hominem no-navi, ſatis mihi dixiſſe videor. Confe-s actis, judices convocat; contracta fron-& ſevero vultu ſua illis acta porrigit, & periofus jubet in medium conſulere ac de-erare, quo tandem ſupplicii genere con-tos atrociſſimi parricidii reos affici opor-et. Legerunt acta judices, & erubue-it; tam enim erant abſurda tam inepta, n plena evidentium mendaciorum rerum-e ſecum ipſis pugnantium, ut, ſi in Lu-inia libera eſſent judicia, non modo ad os condemnandos nihil eſſent valitura, ve-m etiam pro ſatis perſpicua eorum defen-ne atque innocentiæ declaratione eſſe poſ-it. Itaque perlecta illa informi ſcriptu-, judices modeſte ac demiſſe popoſcerunt gumenta, tabulas, teſtes, quibus planum ret, quidquid in iis actis affirmabatur. ibus Carvalhus ſeverior, quam ille Rha-mantus inferorum judex, minaci vultu, altero ad frontem ſublato, altero ad men-

tum depresso supercilio *argumenta*, inqui *apud me sunt, eaque evidentissima; quare n hil aliud hic a vobis requiritur, nisi ut dece natis, quo supplicio in hos parricidas anima vertendum sit.* Perterriti judices imperat faciunt, & in gratiam Carvalhi, a cujus fu rore plurimum sibi metuebant, perqua turpi atque execranda justitiæ proditio consceleratissimam sententiam pronuntian i homines, quos ipsi plane innocentes esse no rant. Ex septem judicibus unus Joanne Alvares Bacalhao, quem virum honoris cau sa nomino, maluit se Carvalhi furori cru delitatique objicere, quam tantum admitte re flagitium, & æternam apud posteros in famiam subire. Carvalhus ob pronuntiatan sententiam lætitia exultans, & crudeli gau dio triumphans, infelicium optimatum bar barum supplicium maturat. Quod quiden perfecit infaustissimo die 13. Januarii 1759 Nolo hic lectoris animum tam horribili tam que funesta infandæ carnificinæ imagine con tristare. Rem igitur quasi transiliens per stringam.

Spectatissima matrona Eleonora de Ta vora prima fuit, quæ animo virili lugubr tabulatum ascendit, modestoque ac seren vultu per se ipsa se contulit ad paratan sediculam, in qua ex sententiæ præscript ei

ei caput erat amputandum; ibique ſedit ſpartana fortitudine fatalem ictum exceptura. Cum acceſſiſſet carnifex, atque ut ei pedes ligaret, aliquantulum veſtis ſublevaſſet, illa nobili modeſtia & mirabili animi præſentia: apage, inquit, quæ eſt iſta tanta licentia? nihil profecto neceſſe eſt me ligare: immota conſiſtam. Tum carnifex poſitis ante illam humi genibus, ab ipſa veniam exequendi munus ſuum de more petivit, cui Eleonora, detracto annulo, quem digito geſtabat, accipe, inquit, fili, hoc, quantulumcunque eſt, quod unum de antiqua fortuna mihi ſupereſt, & libere juſſa perfice, atque officio tuo perfungere. Cum hæc dixiſſet, tantiſper conticuit, animum ſuum procreatori Deo ad extremum commendans. Tum vero carnifex a cervicibus ei caput abſcidit. Quotquot ſpectatores aderant ( aderant autem innumerabiles ) ubi carnifex ferrum ſuſtulit, ad unum omnes, uti obſervatum fuit, a lugubri funeſtoque ſpectaculo oculos averterunt; neque in tanta multitudine quisquam tam fero tamque Carvalhiano animo fuit, ut auderet extremam illam intueri calamitatem lectiſſimæ fœminæ & ornatiſſimæ, in qua cum primaria generis claritate atque amplitudine egregiæ tum corporis tum animi dotes copulabantur. Secundum matrem duo interfecti ſunt filii D. Joſe-

phus Maria de Tavora unum & viginti annos natus, & natu major D. Aloyſius Bernardus; itemque gener D. Hieronymus de Ataide comes Atouguiæ. Hi omnes ſtrangulati fuerunt, atque eodem fere tempore ferrea lamina eis brachia cruraque ſuffracta. Miſeram iſtorum juvenum optimatum vicem, qui non doleret, fuiſſe arbitror neminem; maximam vero a cunctis adſtantibus commiſerationem lacrymasque elicuit junior Marchio de Tavora D. Aloyſius Bernardus; erat enim in ipſo ætatis flore, liberali facie, & perquam eleganti corporis forma; moribus autem ſuaviſſimis, & ſumma in omnes facilitate atque humanitate; quam ob rem perquam erat omnibus charus. Filiis in hunc modum interfectis ac laceratis ſucceſſit infelix pater Marchio de Tavora. Tabulatum illud, inferendæ ſibi necis theatrum, ſcandit magno animo atque erecto, uti decebat fortiſſimum, qualis ipſe erat, exercitus imperatorem, qui ſæpe pro patria pugnando ſeſe hoſtium ferro objicere, mortemque contemnere aſſueverat. In cruce decuſſatim formata ſeſe ipſe componit atque accomodat, horrendum crurifragium ſubiturus. Silent univerſi ſpectatores. Ego autem in hoc ipſo lugubri, mœſtoque ſilentio hanc Patriæ miſere ejulantis vocem audire mihi videor: i carnifex, ferream illam

cla-

clavam horrendam ac funeſtam arripe; crura illa frange, quæ pro augenda propagandaque imperii Luſitani gloria tantum telluris marisque peragrarunt; frange illa brachia illosque lacertos, quorum virtute nuper effectum eſt, ut Aſia Luſitani nominis hoſtium ſanguine redundaret, multæque inimicarum gentium arces captæ, terræque ad imperii Luſitani ditionem adjungerentur; per barbaros, atque inhumanos cruciatus ſanguinem illum elice ac profunde, qui vetuſtiſſima nobilitate florens per continuam clariſſimorum domi militiæque atavûm ſeriem ad hunc infelicem dynaſten propagatus fuit; detur, detur hæc merces præclaris hujus & majorum ejus in patriam meritis; mactetur lectiſſima hæc victima, contrucidetur, dilanietur, ut ſatis tandem fiat odio unius homunculi, qui ante initam illam funeſtam, ac fatalem apud optimum regem gratiam & potentiam in loco magni honoris ac lucri poneret, ſi inter honorarios marchionis de Tavora famulos numerari poſſet. -- Eodem, quo Marchio de Tavora, horribili crurifragio interempti ſunt Blaſius Joſephus Romeirus, Joannes Michael, & Emmanuel Alvares domeſtici, ac familiares Marchionis de Tavora, & Ducis Aveirenſis. Ultimus in tetro illo, funeſtoque tabulato apparuit Dux Aveirenſis, eo-

demque inhumani ſupplicii genere macta-tus fuit; neque ingentes opes, neque ſumma qua florebat gratia & autoritas, neque regius ſanguis eum a Carvalhi odio & crudelitate liberare potuerunt.

His peractis, Carvalhus, ille, inquam, incredibili ferocitate atque immanitate lupus tanta tamque horrenda cæde nondum contentus & exſaturatus novo ſanguini, alisque cædibus crudeliſſime inhiabat atque imminebat. Aliorum igitur, quos in duriſſimis vinculis tenebat, ſumma cum ſollicitudine apud regem ſupplicia urgebat; rex autem ( ut erat ſuapte natura mitis & humanus ) infanda illa carnificina, quam inſtigante Carvalho fieri paſſus fuerat, majorem in modum exhorreſcens, omnino noluit civium ſuorum ſanguinem amplius fundi. Itaque Carvalhus hanc regis humanitatem ægerrime ferens, quos publico ferro palam atque in omnium oculis mactare non potuit, eos privatim affligere, atque adeo in ipſo carcere enecare conſtituit. Unus fuit comes de Obidos, quem Carvalhus proſecutus eſt beneficio latronum, qui ſe iis vitam dediſſe arbitrantur, quibus non ademerint; huic enim poteſtatem fecit exeundi e carcere. Comes autem, qui vel in magna illa calamitate, tamque adverſa fortuna

tuna insitam atque innatam animi sui generositatem plane integram conservabat, respondit, velle se ante judicari, ut intelligeret, qua de causa fuisset in carcerem vinculaque conjectus. Nec multo post in ipso carcere vitam amisit. Mortem quoque in carcere obiit D. Emmanuel de Souza Calharisius, vir spectatissimus cum natalibus tum opibus atque honestissimo, quod sustinebat, munere; erat enim prætorianæ cohortis præfectus, regi autem charissimus, quo insciente in carcerem detrusus fuerat. Tanti viri cadaver, perinde ac si esset scelestissimi cujusdam de plebe sicarii corpus, gestatoriis scalis elatum fuit. Illud quoque perhibent, (quod in omnium memoria inauditum est, a Carvalhi tamen crudelitate non abhorret) nimirum hoc ipsum præstantissimi hominis cadaver ferreis compedibus, quas cruribus insertas habebat, humatum fuisse. Interierunt item Carvalhi crudelitate complures alii regni proceres, teterrimi carceris situ pedoreque confecti; atque in iis quidem amplissimus comes Ribeirensis, comes Egaensis Indiæ prorex, & vicecomes Pontelimanus, vir pervetusta nobilitate clarissimus, & suis per se ipse animi dotibus ac virtutibus valde illustris, atque optime de patria meritus. Nullum scribendi finem facerem, si omnes complecti vellem

lem, quos iſtius hominis crudelitas in duriſſimis cuſtodiis, exiliisque extinxit. Ex tanta igitur multitudine paucos honoris gratia nominabo, & primo quidem loco clariſſimum virum Didacum Mendonzam Cortealium, qui ſuper transmarina re ab intimis conſiliis erat, & apud regem ob ſuaviſſimos mores & notam probitatem atque integritatem valde gratioſus. Hunc perdidit Carvalhus, ut & privato odio & metui ſuo ſatisfaceret; hominem enim oderat, quia is Carvalhianum de permutanda *Colonia Sacramenti* cum ſeptem Indorum Hiſpanorum pagis conſilium, tanquam nationi pernicioſum, uti re ipſa erat, reprobarat ac rejecerat. Metuebat autem, ne Mendonza pro gratia, qua plurimum apud regem valebat, eum de intolerandis machinationibus, infandisque flagitiis, quibus ipſe Carvalhus Luſitanum imperium peſſumdabat ac penitus evertebat, aliquando edoceret. Eodem item modo de medio ſuſtulit Mendonzæ ſucceſſorem Joachimum da Coſta Corterealium, quia intellexit, hunc Mendonzæ veſtigiis ac ſententiis inſiſtere atque inhærere. Eamdem Carvalhianæ crudelitatis vim atque effectum perpeſſi ſunt celeberrimus cauſarum patronus Franciſcus Xaverius Teixeira; nobilis vir Emmanuel Carvalhus; duo viri religioſi ex Cappucinorum ordine, P. Clemens

mens, & P. Illuminatus, vitæ ac morum integritate notiſſimi, & ipſi regi non parum accepti; P. Oldemburgus S. Hieronymi ordinis Monachus, germanus frater Martini da Rocha Oldemburgi, & ipſe Martinus Oldemburgus. Is erat regi charus, qui ſua eum conſuetudine & colloquio ſæpe dignabatur. Cum igitur die quodam Rex humaniſſimus eum Oldemburgo familiariter colloqueretur: *Quando*, inquit, *erit*, *chare Martine*, *ut tranquillo animo eſſe poſſimus*, *atque ab hujusmodi terræmotuum metu liberi?* cui *Martinus* „ *vereor*, ait, *Rex optime*, *ut unquam ceſſet nos affligere hoc flagellum*; *quandoquidem tantum abeſt*, *ut vitæ ac morum emendatione juſta Dei placetur indignatio*, *ut potius novis indies horrendisque perpetratis ſceleribus divina in nos ira provocetur. Nulla eſt adverſus religionem reverentia; conculcatur juſtitia; publicæ offenſiones*, *malaque exempla incredibilem in modum quotidie creſcunt.* De hac re multis incautus Oldemburgus diſſeruit, regi ſignificans, horum omnium malorum autorem eſſe Carvalhum, cujus arbitrariam potentiam, & tyrannicam dominationem civibus intolerandam eſſe dixit. His auditis Rex obſtupuit, eique mandatum dedit, ut hæc omnia in charta notaret, & a probis viris ac fide dignis ſubſcripta ad ſe deferret. Domum redit Martinus gaudio perfuſus;

ſus ; ab Rege imperata facit, in Carvalhum nominis delationes ſcribit, & ab iis, quos paulo ante nominavi, ſubſcriptas Regi tradit. Hujusmodi ſcripturam perbenigne Rex accepit, et, *bene eſt*, inquit ; *ne dubita, quin eo Carvalhum amandem, ubi cives meos chariſſimos amplius vexare non poſſit.* Verum hæc ipſa ſcriptura Martino, ejuſque ſociis exitium attulit. Rex enim accito ad ſe Carvalho, ſevero & irato vultu hujuſmodi ſcriptum in manus ei legendum tradidit. Carvalhus vero, qui Regis naturam perdidicerat, ejuſque indolem optime norat, multa comminiſcens, ac pejerans tanta ſe contentione excuſavit, atque iis coloribus accuſatores ſuos, tamquam perduelles, ac proditores depinxit, ut facili negotio Regi perſuaſerit, eos puniri oportere ; atque eam rem ipſi Carvalho Rex exequendam commiſit. Hæc regis Joſephi I. luctuoſa, fataliſque in adminiſtrum ſuum indulgentia effecit, ut nemo apud ipſum de Carvalho conqueri auderet. Quotiescunque ſupplicem aliquem in Carvalhum libellum accipiebat, eum ſtatim Carvalho ipſi tradebat, qui cum indignatione legens in hunc modum exclamabat : *En Rex, quouſque ſe effundit effrænata ſceleratorum hominum iniquitas & perfidia. Vellent me a latere tuo avellere, quippe quem tibi unice deditum atque addictum eſſe norunt.*

*norunt. Nihil tamen his artibus proficient: ero, ero tibi ſemper fidelis. Non me fugit, hæc omnia conatus eſſe, ſed vanos vanasque* Petriſtarum *tentationes.* Hoc vocabulo *Petriſtæ* ſæpe numero, apud Regem utebatur, ut ſuſpectum quoque ei redderet D. Petrum ejus fratrem; volebat enim eo vocabulo ſignificare, homines eſſe, qui D. Petro valde ſtuderent, eumque regnare mallent. Incredibile eſt, quantopere apud Regem, necquicquam tamen allaborarit Sejanus iſte crudeliſſimus æque atque audaciſſimus, ut fraudulentis artibus opprimeret atque adeo perderet regium principem Petrum, qui & vitæ innocentia & morum integritate, & ſuaviſſima indole, & eximiis egregiisque virtutibus chariſſimus erat cunctis ac notiſſimus, inprimis vero fratri ſuo Regi Joſepho I. Invidebat nimirum patriæ peſtis atque exitium Carvalhus, invidebat, inquam, futuræ Luſitanorum felicitati, quam ii hodie obtinent fauſtiſſimo regno, & amabili dominatione Fideliſſimæ reginæ Mariæ I, & auguſtiſſimi Regis Petri III, qui populorum ſibi ſubditorum deliciæ ſunt atque amores.

At nos ad inceptum noſtrum revertamus. Carvalhiani furoris præterea victimæ fuerunt, & vitam miſerrimam vel in tetro

tetro carcere vel in duro exilio posuérunt Antonius da Costa Freirius; duo Oratoriani P.P. Chevalierius, & Macedus; duo Ecclesiæ Patriarchalis præsules Aguilarius, & Sampaius; qui omnes & suis erga publicam rem meritis & virtutibus patriæ ornamento erant; præcipue præsul Sampaius, vir spectatissimus, & singulari vitæ innocentia, in quo nihil quisquam reprehendere posset; quapropter omnibus erat acceptus, atque ipsi regi charissimus. Is in adolescentia novitius fuerat Societatis Jesu, sed valetudinis causa eam vitæ rationem persequi non potuit. Hac una re Carvalhus Sampaium tanquam occultum sibi hostem atque inimicum odio prosequebatur, metuebatque, ne is regem, ad quem facillimos aditus habebat, de execrandis ipsius Carvalhi flagitiis aliquando certiorem faceret; quare sæpenumero tentavit eum Regi suspectum reddere; Rex vero, qui satis cognitam perspectamque habebat Sampaii fidem, semper Carvalho respondebat: *fieri non potest, ut meus ille integerrimus Sampaius, mihique charissimus ullam in me proditionem cogitet.* Carvalhus tamen ab incœpto non desistebat, & novas semper quærebat hominis perdendi vias. Itaque peropportunam aliquando nactus occasionem, cum nimirum Rex, ad cujus aures novas semper ille conjurationes insu-

insusurrabat, mœstitiæ plenus atque angoris magnam in universos sibi subditos diffidentiam ostenderat, ab ipso tandem extorsit, ut Sampaii conspectu & consuetudine privari se pateretur; statimque de Carvalhi mandato captus fuit vir innocentissimus, & in parricidarum carcerem detrusus, ubi vitam amisit.

In hac tanta tamque immensa Carvalhianarum crudelitatum silva exitum invenire non possum. Quid dicam de supplicio D. Peifferie de Graveron Tribuni militum, qui privato, ut perhibent, Carvalhi odio, tanquam majestatis reus publice mactatus fuit? de hujus periculo cum certior factus esset Gallicanus apud Fidelissimum regem legatus, sua interesse duxit, insonti nationis suæ homini tanto in discrimine succurrere. Carvalhus autem, cui fixum omnino erat ac deliberatum, hominem occidere, ambiguis responsis & vana spe legatum deludebat. Interea quam secretissime acta conficiebantur, atque omnia parabantur, quæ certissimum brevique futurum supplicium indicabant; tum legatus Carvalhi domum se contulit, qui valetudinem causatus eum non admisit, jussitque cum judicibus agere; judicibus autem severissime ante mandarat, ne ullo pacto legati postulationibus annuerent. Nihil igitur potuit gallicani legati

autoritas, & infelix Graveronius capitali ſupplicio fuit affectus. Quid de barbara nece atque inhumano cruciatu, quo vitam eripuit Carvalhus infeliciſſimo cuidam homini Joanni Baptiſtæ Pele Genuenſi? Is eo nomine accuſatus fuit, quod *pretioſiſſimæ* Carvalhi vitæ inſidias molitus eſſet. Diligentiſſime in eam rem inquiſitum fuit. Reus in judicio hujusmodi tentati delicti convictus non eſt. In actis nihil apparet, niſi meræ conjecturæ, eæque ſatis futiles. Nihilo tamen minus Pele miſerrimus, amputatis ei ante manibus, a quatuor equis in diverſa concitatis raptatus fuit, & horrendum in modum dilaceratus.

Terræmotibus, incendiis, inundationibus, annonæ caritate aſſidue premebatur populus Ulyſſiponenſis. Boni publicæ rei adminiſtratoris erat, in his tantis calamitatibus afflicto populo ſubvenire, ad ſublevandos miſeros homines fame prope enectos aliquid ab ærario ſuppeditare, de re frumentaria quam diligentiſſime providere. Hæc omnia, rebus in eo loco ſtantibus, feciſſet utique quilibet publicus adminiſter, qui mediocriter eſſet providus, atque aliquem humanitatis ſenſum haberet; at humaniſſimus Carvalhus pro eo, quo pollebat, mentis acumine & perſpicacia, ſecus omnino

no ſentiebat; & quidem longe opportuniorem breviorémque iis malis medendi viam rationemque invenit. Complura in Ulyſſiponis ſuburbii patibula fixit, in quibus aliunde jam conſternata civitas amplius tercentum cadavera uno die ſuſpenſa vidit. At ſatis non habuit adminiſter ſapientiſſimus mirabilem ſuam & providentiam & humanitatem hoc modo oſtendere; ultra progreſſus eſt; & nocturnis vigiliis mandatum dedit; ut quotquot otioſos per plateas ac vicos deprehendiſſent, eos ſtatim nullis confectis actis; nulla delicti alicujus cognitione præmiſſa; laqueo interimerent; patibuloque ſuſpenderent. Deus immortalis! quot infelices innocentes; nec ſua ſponte, ſed dura neceſſitate otioſos hac barbara Carvalhi lege periiſſe putemus!

Ulyſſipone Portum florentiſſimam; atque opulentiſſimam Urbem divertamus; Ubi functiſſimum Carvalhianæ crudelitatis theatrum nobis proponitur. Optimi vini feraciſſima eſt regio Durii ſuperioris; unde magnam pecuniæ vim eliciebant Portuenſes; vinum enim ſuum exteris negotiatoribus, maxime Britannis; qui propter ejus bonitatem certatim ad cœmendum confluebant, unusquisque plurimi vendebat. Carvalhus certorum hominum ſuper eo vino

Societatem instituit, id est, intolerabile monopolium, quod cum ipsi Carvalho quæstuosissimum, tum publicæ rei erat valde perniciosum. Nam Carvalhiana ejus Societatis lege omnes cogebantur vilissimo pretio uni Societati vinum suum vendere, quæ deinde sola illud aliis tum indigenis, tum advenis tanti venderet, quanti vellet, id est, maximi. Præterea Carvalhus Regis nomine decretum edidit, quo severe cavebatur, ne Ulyssiponenses, & ejus provinciæ, quæ *Extrema ora* dicitur, habitatores cuiquam, nisi commemoratæ societati pecuniam fœnori darent. Diem, quo instituta fuit funesta societas, solemnem Carvalhus esse voluit. Ambrosiano hymno publice cantato; cui Carvalhi triumpho ac lætitiæ senatus populusque Portuensis ejus imperio coactus interfuit; eo fere modo, quo, captis urbibus, una cum victoribus victi templa coguntur adire pro imposito sibi jugo ac servitute gratias Deo actum. Præter lucrum incredibile, quod ex hac Societate colligebat Carvalhus, (erat enim privatim & occulte maximum ejus caput, & primus negotiator) publice renunciatus fuit ejusdem Societatis patronus; quo ex munere annuam pensionem trium numum cruciatorum pro singulis vini doliis percipiebat; quadraginta vero mille, & amplius vini dolia quot-

annis

annis vendebat Societas; quare diligentissimo patrono Carvalho centum & viginti cruciatorum nummum millia quotannis obveniebant.

Hanc igitur societatem tam duris legibus institutam, tamque Portuensibus negotiatoribus perniciosam æquo animo civitas ferre non poterat. Accedebant quotidianæ agricolarum querimoniæ, quibus maximam dabant occasionem tyrannicæ Fratris Mansilhæ vinarii procuratoris exactiones. Quare omnium in istam societatem maledicta ubique, obtrectationesque audiebantur, quæ tandem in apertum plebis tumultum ac seditionem eruperunt. Cum duabus veteranorum cohortibus ad sedandum tumultum accurrit urbanæ militiæ præfectus. Nihil tamen efficere potuerunt, & fugiendum illis fuit, ut sibi caverent ab horribili saxorum grandine, quibus in ipsos furiose pluebat. Politicæ tamen rei præses tumultuantem plebem feliciter continuit, liberam, ut ante, vendendi vini potestatem unicuique faciens. Carvalhus de his rebus certior factus incredibilem in modum excanduit, & vinariæ societatis sibi charissimæ injurias quam severissime ulcisci constituit. Omni cum celeritate Portum misit tres peditum cohortes, & unam equitum turmam,

quibus præfecit neceſſarium ſuum Joannem Almadam, hominem fratre ſuo nihilo probiorem; erat enim germanus frater illius furioſi Almadæ, quem ipſe Carvalhus magno Luſitani nominis dedecore Romæ apud S. Sedem Fideliſſimi regis legatum fecit. Hujuſmodi homini non modo rei militaris, verum etiam politicæ imperium dedit cum plena poteſtate, quoſcunque ſibi viſum eſſet, ad arbitrium ſuum puniendi. Quare tantum abfuit, ut miſeri cives malorum, quibus premebantur, remedium conſequerentur, ut potius graviſſimas pœnas & barbara ſupplicia ſubierint, fracta fide publica, quam de tollendo execrabili vini monopolio gubernator politicus concitatæ multitudini ad ipſam pacandam dederat. Civitas infinitos ſumptus in milites facere coacta fuit. Civitatis procuratores, & artificum collegia, quæ partem ſenatus conſtituebant, in perpetuum deleta ſunt. Judex populi (ſic appellant magnæ autoritatis magiſtratum tuendis populi cauſis præpoſitum) nullius delicti reus, niſi quod plebs tumultuans eum a lecto, in quo valetudinis cauſa jacebat, vi abduxit, & in lectica geſtavit ad petendum nomine univerſi populi a ſupremo civitatis gubernatore, ut infandum illud vini monopolium tolleretur; Carvalhi juſſu per ſummam indignitatem atque ignomini-

am

am a publico carnifice, insertum miseri hominis collo funem tenente, per urbis vicos tractus ac raptatus fuit, universis civibus obstupefactis, atque indignatione frementibus, eo licentiæ intolerandæque audaciæ progressam fuisse arbitrariam atque adeo tyrannicam unius barbari administri potentiam. Ter centum & amplius homines in turrim S. Joannis, & in alias custodias inclusi fuerunt; duo de viginti capitale supplicium subierunt; sex & viginti ad triremes damnati; nonaginta novem in exilium missi. Complures familiæ sponte sua urbem deseruerunt, ne subjicerentur extremæ caritati annonæ, & intolerandæ militum licentiæ duce Almadæ; is enim sanguinariis consiliis, crudelitatique patruelis sui Carvalhi cumulatissime satisfaciens non modo non coercebat militum insolentiam, verum etiam fovebat, eos ad vexandam, diripiendamque civitatem incitabat.

In universam denique Lusitanorum nationem crudelissimus fuit Carvalhus, patriæque Romano illo Catilina multo perniciosior ac detestabilior. Siquidem suis commentitiis conjurationibus Lusitanæ nationi, qua nullam regibus suis fideliorem, eorumdemque amantiorem reperias, turpissimam perfidiæ notam labemque inussit, ad sempiter-

nam apud exteras nationes ignominiam. At nunquam adverſus patriam crudelius ſe geſſit, quam cum incredibili audacia, omnique extremo acerbiſſimoque ſupplicio punienda, tantopere allaboravit, ut Luſitanos privaret ea ſumma felicitate, qua nunc perfruuntur, amabili nimirum ſuaviſſimaque Fideliſſimæ reginæ Mariæ I. & Auguſtiſſimi Regis Petri III. dominatione. Eſſe arbitor neminem in Luſitania, qui ignoret, quid infamis iſte proditor tentarit; ut Reginam Mariam, & Regem Petrum de hæreditario regni jure deturbaret, quod eis Deus, natura, legesque a majoribus ſapienter inſtitutæ ſine ulla controverſia deferebant. De intolerandis in hoc genere Carvalhi tentationibus, tamquam de re omnibus nota diſerte ac perſpicue mentionem facit vir clariſſimus e togatorum magiſtratuum collegio Franciſcus Coelius Silva in alloquio ad ipſam Fideliſſimam Reginam Regemque coram univerſo populo Ulyſſiponenſi, publice habito, fauſto illo, felice, fortunatoque Luſitanis die, quo die incredibili omnium regni ordinum lætitia & plauſu ipſa Regina una cum Rege conjuge rite fuit inaugurata: *Divini Numinis providentia effectum eſt, ut ad nihilum reciderent infames illæ machinationes, quæ adverſus legitimam hæreditario jure majeſtatis tuæ ſucceſſionem non ſemel attentatæ fuerunt.* Hæc

Hæc pauca de hujusce Lusitani ne hominis an Hircanæ tigridis crudelitate attigisse sit satis: infinita in hoc ipso genere præterimus, quibus tamen bonus Carvalhus contentus non erat, neque exsaturatus; singulis fere noctibus plurimi cives ex domibus suis improviso abducebantur, & personatis vultibus ad naves exportabantur, ad transmarinas provincias exilii nomine profecturi. Complures item ex transmarinis provinciis quotidie Ulyssiponem in vinculis perducebantur, atque in teterrimas custodias contrudebantur. Præ vinctorum multitudine vix jam erat in urbanis custodiis, in arcibus, in subterraneis cavernis locus, qui alias Carvalhiani furoris prædas, quæ quotidie comprehendebantur, capere posset. Quare novas Carvalhus custodias exædificavit, autore suo dignas, horrendum in modum tetras, atque angustas, tales nimirum, ut potius, quam carcer, patibulum dici possent, in quo infelices homines, eo conjecti, calamitosam vitam brevi deponerent. Eas vero clementissima Regina, statim ut regni habenas cepit, demoliendas curavit, ne ad posteros infanda hujusmodi Carvalhianæ crudelitatis monumenta permanarent. Interea ejusdem Reginæ jussu, nec non ex defuncti Regis Josephi I, ultimæ voluntatis declaratione, augustissimæ

filiæ in ſcriptis relicta, e parricidarum carcere dimiſſæ fuerunt omnes illæ innocentes victimæ, quas Carvalhus majeſtatis falſo accuſarat, odioque ac furori ſuo devoverat. Patefactis cuſtodiarum januis, tanta illuſtrium virorum, qui in iis detenti ac peſſime habiti erant, multitudo in publicum conſpectum ſe dedit, ut ad novum illud ſpectaculum, quod ab omnibus lacrymas eliciebat, magnus populi concurſus ſit factus undique una voce clamitantium, ut ultimis ſuppliciis in tantæ crudelitatis autorem animadverteretur. Miſerabilis aſpectus Epiſcopi Conimbricenſis D. Michaelis ab Incarnatione, viri & natalibus & virtutibus & ſua dignitate maxime venerandi adſtantium animos ſupra modum commovit. Erat ille ob horrendum diuturni carceris ſitum atque anguſtias, ſqualido vultu, & miſerandum in modum palleſcente, prolixa barba, tritis veſtibus, atque adeo laceratis, & tanta virium imbecillitate, ut ægre ſtare poſſet.

Ex tetri quoque carceris tenebris, in quibus duo de viginti annos fuerunt, in hanc lucem tanquam redivivi emerſerunt duo viri ſpectatiſſimi, Comes S. Laurentii, & D. Antonius Freire Inſerrabodius. Atque hic præteriens breviter delictum perſtrin-

ſtringam, cujus cauſa in parricidarum cuſtodias a Carvalho conjectus fuerat Comes S. Laurentii, qui & ex primaria regni nobilitate erat, & egregiis virtutibus ornatus, & litteris haud mediocriter excultus. Nodum in ſcirpo, ut aiunt, quærebat Carvalhus, & occaſiones aucupabatur ſeminandæ inter Fideliſſimum regem, & ſummum Pontificem diſcordiæ. Eo igitur die, quo ſereniſſimæ Principis Braſiliæ, & regii Principis D. Petri celebratæ ſunt nuptiæ, cum ad omnes exteros oratores & legatos miſſa de more fuiſſent publica chirographa, quibus ea res illis rite annuntiabatur, unus de induſtria prætermiſſus fuit Cardinalis Acciajolius, pontificius apud Fideliſſimum regem nuntius. Quo ſpectaret captioſum Ulyſſiponenſis adminiſtri conſilium, probe intellexit Acciajolius, & quamquam pro jure ſuo ſarto tectoque ab hac injuria conſervando multum reclamavit, nihil tamen apud Carvalhum efficere potuit. Optabat ſaltem D. Petro dolorem ſuum ſignificare, nimirum quod in eam neceſſitatem coactus eſſet, ut pro fauſtiſſimis ejus nuptiis ſolitas ac debitas lætitiæ ſignificationes dare idcirco non poſſet, quia publicum de ea re chirographum non accepiſſet. Itaque a Comite S. Laurentii, & a Viqcomite Pontelimano, quos principi Petro acceptiſſimos eſſe norat,

rat, popoſcit, ut de ea re D. Petrum edocerent. Illi, quoniam verebantur, ne inurbani eſſe viderentur, ſi Cardinali, præſertim æqua & innocua poſtulanti hujusmodi officium denegarent, poſtulata fecerunt. Id ſatis Carvalho fuit, ut omni ope Regi perſuadere niteretur, novam a pontificio Nuntio conflatam eſſe conjurationem, & Comitem S. Laurentii, nec non Vicecomitem Pontelimanum ejus conjurationis conſcios eſſe ac participes. Quam ob rem uterque tamquam majeſtatis reus in duriſſimas cuſtodias conjecti fuerunt ; Nuntius autem pontificius haud multo poſt per ſummam indignitatem, atque omnium gentium offenſionem ex Luſitania vi ejectus.

Maximam vero omnibus ( ut ad propoſitum revertamur ) de ſe miſericordiam commiſerationemque commovit infelix adoleſcens D. Martinus Mascarenhas Gouveæ Marchio, filius infeliciſſimi Ducis Aveirenſis, quem Carvalhus commentitiæ conjurationis nomine per acerbiſſimos cruciatus de medio ſuſtulit. Nemo fuit, qui lacrymas continere poſſet, cum vidit illuſtriſſimum adoleſcentem, cui tam adverſa contigit fortuna, ut ob fictum patris delictum in ipſa pueritia, cum nullius delicti per ætatem aut conſcius aut particeps eſſe poterat, in hor-

ren-

rendum carcerem detrufus fuerit, atque ibi totos ipfos duo de viginti annos detentus ac peffime habitus nullam omnino generofæ educationis notionem haberet, quin & omnem humanæ focietatis confuetudinem penitus ignoraret, in vinculis adultus.

Quingenti circiter fuerunt, qui primo die ex inhumanis cuftodiis emiffi funt. Ii univerfam Ulyffiponem continuo impleverunt funeftiffimis narrationibus immanium horribiliumque calamitatum, quas in carcere perpeffi fuerant. Intra paucos dies ad octingenta capita crevit e carcere demifforum numerus, quorum in communem oppreflorem clamoribus omnes urbis domus, viæ, compita perfonabant. Itaque Carvalhus, qui paulo ante cunctis terrorem incutiebat, nunc tamquam lupus in agnorum cæde deprehenfus, caudam remulcens, & pavitans omnes metuebat. Nihil vero tantopere eum torquebat, quam fexaginta Jefuitarum ab acerbis diuturnisque vinculis liberatorum confpectus; fibi enim confcius erat, fe ad opprimendam iftorum hominum innocentiam omne flagitiorum genus admififfe, deteftandamque atque incredibilem in ipfos crudelitatem exercuiffe. Inter cæteros, quos in afperrimis vinculis Carvalhiana crudelitas excruciabat, omnium calami-

tofi-

tosissimus fortasse erat Jesuitarum status. In obscuris atque horrendis cavernis sepulti jacebant; inter molestissimos sordidorum vermiculorum greges; a quibus noctes ac dies pungebantur. Vestibus nimio carceris madore consumptis; pene nudi comparuerunt; videlicet unis cooperti veluti centonibus ex palea, quæ illis noctu atque interdiu pro lecto erat. Ægre incedere; ac sustentare se poterant; tum quia pedibus erant præ madore carceris tumescentibus; tum etiam quia propter vilissimi victus malignitatem atque adeo penuriam eos vires defecerant. In hoc numero reperti fuerunt P. Franciscus Portugallius ex Marchionibus Valentiæ; olim Carvalhi fautor insignis atque amicus; P. Didacus da Camera ex Comitibus Ribeiræ; P. Joannes de Noronha ex Comitibus de Arcos; & P. Timotheus de Oliveira istius Augustissimæ Reginæ olim præceptor. Alii non pauci vita in carcere functi erant. Hoc miserabili spectaculo majorem in modum commoti sunt Lusitanorum animi, universe dolentium tam gravem calamitosamque fortunam ac vicem eorum hominum, qui tanto ante in loco & numero fuerant. Statim se prodidit erga ipsos veterum amicorum charitas; quæ nihil sane refrixerat toto duodeviginti annorum spatio; quo tempore metu Carvalhi infensissimi Jesuitarum hostis; ne

ne eos quidem nominare cuiquam impune licebat. Multi Optimatum eos certatim hospitio invitabant; quæ res Carvalhum incredibilem in modum torquebat.

Quamquam igitur octingentorum civium adhuc superstitum recuperatione lætari potuerunt Lusitani; haud mediocriter tamen illis dolendum fuit, ubi cognoverunt, longe majorem esse eorum numerum, qui in barbaris illis custodiis vitam insontes amiserunt; ex declaratione enim trium judicum a sapientissima Regina excipiendis cognoscendisque in Carvalhum hominis delationibus præpositorum compertum fuit, ad novem mille sexcenta quadraginta capita eorum numerum ascendisse; qui deterrimi carceris angustiis, pedore, situ confecti, & inedia consumpti, omnibusque incommodis affecti ærumnosissimam cum morte vitam commutarunt. In barbarum tantarum calamitatum autorem plebs, supra quam dici possit, irritata furiosis vociferationibus eum ad mortem deposcebat; & quoniam in ipsum non potuit, in ejus imaginem iram suam furoremque exercuit. Eo audaciæ & impudentiæ Carvalhus devenerat, ut ad stylobaten statuæ equestris Regis Josephi I, in commercii foro collocatæ, imaginem suam ex ære magnifice conflatam apposuerit. In hanc

hanc igitur ſaxis, luto, omnique ignominiarum genere plebs impetum fecit, adeo ut Regina ad continendos irritatæ multitudinis animos conſilium ſuum maturavit de tollenda ex eo loco infamis hominis imagine, quæ re ipſa Luſitanæ nationis dedecus erat atque opprobrium, & nobilem illam, quæ optimo Regi jure ac merito erecta fuit, ſtatuam fœdabat. Itaque concubiæ noctis ſilentio ad vitandam furentis in Carvalhum populi temeritatem, avulſa & penitus ſublata fuit deteſtabilis imago, atque in ejus locum ſenatus populique Ulyſſiponenſis ſtemma ſuffectum eſt.

Jam vero ad maximum immaniſſimi Carvalhi tormentum veniamus; ſolemnis enim multorum, quos ille infandis calumniis oppreſſerat, innocentiæ declaratio maximum illi tormentum fuit. Clariſſimam Atouguiæ comitem, filiam Marchionis de Tavora, & uxorem D. Hieronymi de Ataide Atouguiæ comitis capitali ſupplicio interfectorum, Carvalhus ejusdem delicti majeſtatis inſimularat, & in actis a ſe confectis celeberrimæ in Regem conjurationis conſciam & participem eſſe affirmarat. Ea totos undeviginti annos in Sacavenſi ſacrarum virginum domo incluſa fuit, penitus ignorans, qua de cauſa in illa cuſtodia detineretur.

tur. Fideliſſima Regina integerrimos judices conſtituit, qui hujus cauſam ſeparatim cognoſcerent. Illi ſummo jure, ſervatoque omni judiciali ordine, cauſam diligentiſſime tractarunt; & evidentiſſimis argumentis adducti ſolemnem abſolutionis ſententiam pronuntiarunt, oſtenderuntque illuſtriſſimæ fœminæ innocentiam meridiana luce clariorem eſſe. Quare Fideliſſima Regina pro ſua æquitate decretum edidit honorificum, quo declaravit, *innocentiam viduæ comitis Atouguiæ plane atque evidenter demonſtratam eſſe, nullumque ne leviſſimum quidem indicium aut ſuſpicionem apparere ejus delicti, quod ei falſò attributum fuerat.* Hæc providentiſſimæ Reginæ æquitas ſperare nos jubet fore, ut tandem aliquando, cum ei viſum erit, ſimili decreto cæterorum omnium innocentiam declaret, quos Carvalhus per deteſtandam calumniam parricidii nomine accuſavit, atque iniquiſſime condemnavit; ac demum in publicam lucem prodire ſinat abſolutionis ſententiam jam a lectiſſimis judicibus, quibus ipſa communem cauſam recognoſcendam permiſit, rite pronuntiatam die 8. Aprilis 1781. cum ſolemni declaratione conteſtatæ *innocentiæ eorum omnium tam adhuc viventium, tum jam vita functorum, qui aut ſupplicio affecti fuerunt, aut in carcerem conjecti vi ſententiæ*

T die

*die* 12. *Januarii* 1759. *prolatæ.* Interea nos Carvalhum paucis volumus.

Ades igitur, Carvalhe, tecum mihi res eſt: ades leguleiorum doctiſſime: cede illud tibi chariſſimum juris effatum, *qui ſemel eſt malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali.* Tu in cauſa graviſſima, quam omni circumſpectione omnique forenſis judicii maturitate ſeveritateque tractari oportebat, cum ſumma laborares argumentorum inopia, conſceleratiſſimi nihilominus propoſiti tenax, occidendi videlicet inſontes Optimates, quos capitali odio proſequebare, pro teſtibus, pro tabulis, pro uſitato juris ordine unum illud effatum adhibuiſti; quam vero inſulſe, quam inſcite, quam inepte, id quidem vident omnes, qui aliquid vident. Quid enim? an Optimates illi ante mali fuerunt in eo genere? planum fac, eos antea parricidium aliquod tentaſſe, aut conjurationes in Regem molitos fuiſſe: niſi forte præclara iſtorum Optimatum erga patriam merita, & magna, quæ eorum majores in publicam rem Luſitanam contulerunt beneficia, tu, tu, Carvalhe, pro tua ſingulari erga patriam ipſam charitate conjurationes, & parricidia fuiſſe arbitraris. Præterea, ut certiſſimis liquet argumentis & teſtimoniis, infauſta illa nocte, qua parricidium tentatum fuiſ-

fuiſſe comminiſceris, domi Marchionis de Tavora cœna fuit lautiſſima, cui ipſe & domeſtici omnes, & multi proceres ejus amici, & conſanguinei interfuerunt; ſub cœnam vero ſymphoniæ, & ſaltationes ad multam diem productæ. Fac igitur planum, iſtos Optimates a comeſſationibus, a ſymphoniis, a ſaltationibus ad conjurationes, ad cædes, ad parricidia conſurgere aſſueviſſe. Age ſis nunc experiamur, an in te ego hoc ipſo juris effato meliuſcule uti poſſim inepte atque imperite, quam tu eo in Optimates abuſus fuiſti. *Tu ſemel fuiſti malus*; liquet enim ex judicum ſententia, & regia declaratione, te infamem calumniatorem fuiſſe Optimæ fœminæ atque innocentiſſimæ comitis Atouguiæ: ſemper igitur in eodem mali genere malus cenſeare neceſſe eſt; atque adeo fatearis oportet, te infamem quoque calumniatorem fuiſſe aliorum, quos eisdem actis a te confectis tentati parricidii accuſaſti, & iniquiſſimâ illâ pudendaque ſententiâ perterritorum judicum ore a te lata die 12. Januarii 1759. capitis damnaſti.

Quamquam in eo ipſo genere non ſemel malus fuit Carvalhus. Exſtant aliæ quoque ſolemnes multorum innocentiæ declarationes, quos iſte nefandus calumniarum artifex tamquam perduelles ac parricidas in te-

terrima vincula conjecerat. In iis fuerunt amplissimus Marchio Alornæ, & ejus Conjux; itemque duo germani fratres infelicis Marchionis Tavoræ. Hi omnes uti noluerunt illa generali potestate exeundi e carcere, quæ eo die, quo die Maria I. solemnem regni possessionem cepit, facta est omnibus, qui commentitiæ in regem Josephum I. conjurationis nomine detinebantur; & in suis custodiis remanere maluerunt, enixe postulantes, ut ante quam exirent e carcere, rite & secundum leges cognosceretur ac judicaretur ipsorum causa. Quod ubi rescìit justissima Regina, statim edixit, ut e custodiis exirent, & ab Ulyssipone ad octoginta millia passuum abessent, donec instituto super eorum causa judicio de eorumdem innocentia liqueret. Causâ igitur in judicio severissime cognitâ, cum solemni judicum sententia non modo de omni culpa verum etiam de omni vel minima culpæ ac delicti, cujus accusati fuerant, suspicione omnino purgati fuissent, eos Regina publice & perhonorifico decreto innocentes declaravit, reposuitque in pristinos honores & bona, quæ ad ipsos jure & natalibus pertinebant. Illud animadvertere oportet, nimirum duos istos dominos de Tavora, & Marchionem Alornæ a Carvalho in carcerem detrusos fuisse ob idemmet delictum,

cujus

cujus nomine alii, de quibus ante dixi Optimates crudelissima morte affecti fuerunt; quamvis autem Carvalhus istorum quoque sanguinem sitiret, & regem vehementer instigaret, ut horribilem carnificinam continuari sineret, Rex tamen humanus tantam crudelitatem abominatus nullis instigationibus perfidi administri adduci potuit, ut alias insuper cædes fieri pateretur; & velle se civium suorum sanguini parcere declaravit. Quare hodierna hæc istorum innocentiæ solemnis declaratio convicit tandem, ut mihi persuadeo, obstinatos eorum animos, siqui adhuc erant, qui dubitarent de iniquitate sententiæ die 12. Januarii 1759. pronuntiatæ in infelices illos Optimates, quibus per immanes cruciatus vita fuit a Carvalho erepta; & omnino concludit, ipsum Carvalhum in eo calumniandi genere haud semel malum fuisse. Quod amplius etiam confirmant similes aliorum innocentiæ declarationes; nam innocens quoque honorificentissimo Reginæ decreto declaratus fuit D. Insorrabodius, vir & illustri sanguine & egregiis animi dotibus, & præclare obitis apud exteras nationes legationibus insignis. Prodiit item Fidelissimæ Reginæ perquam honorificum decretum de clarissimi Episcopi Conimbricensis D. Michaelis ab Incarnatione innocentia; itemque alia de innocentia

tia præstantissimorum virorum comitis S. Laurentii, vicecomitis Pontelimani, & comitis Egaensis, quorum duo postremi mortui sunt in carcere. Cum igitur tam multis justissimæ Reginæ decretis tam evidenter liqueat de malo dolo ac mala fide Carvalhi, non semel sed sæpe numero ab ipso exercita, efficitur atque omnino consequens est, secundum illud juris effatum, eum semper existimandum esse malum in genere caluminandi, & quoscumque conjurationis in regem accusavit, falso, ac per meram calumniam accusasse, ut odio suo privato & innatæ crudelitati, ex qua totus constabat, innocentissimorum hominum sanguine satisfaceret.

Verum de hominis crudelitate, quamquam pauca dixi, ea nunc sint satis. Venio ad ejus rapacitatem; & pauca hic quoque de silva infinita decerpam ac delibabo. Atque ut a domesticis rapinis ordiamur, primo patrui sui Pauli Carvalhi testamentum rapuit, & in omnes ejus facultates involavit; neque ulla eis legata persolvit, quibus testator legarat. Egentissima quædam vidua, quæ multos annos apud Paulum Carvalhum in famulatu fuerat, cum pecuniam nescio quam ab ipso sibi legatam nullis a Carvalho nostro precibus elicere potuisset,

ſet, ſupplice ſuper ea re libello ad Regem confugere ſtatuerat, quod cum reſciſſet Carvalhus, graviſſimis intentatis minis miſeram fœminam a propoſito deterruit. Haud multo poſt, mortuo ejus vitrico homine plane copioſo & locuplete, qui uxorem ſuam, Carvalhi matrem, teſtamento hæredem inſtituerat, Carvalhus, filius ſcilicet pietate erga matrem ſuam inſignis, ejusdem jure neglecto ac penitus conculcato, in omnia vitrici bona invaſit, ne honeſtam quidem portionem matri concedens, qua vitam poſſet ſine penuria tolerare. Quare optima fœmina pene ad ultimam mendicorum conditionem redacta dicere ſolebat, ſe matrum infeliciſſimam, cum Carvalhum genuit, non hominem ſed crudeliſſimam tigridem genuiſſe.

Hæc ad domeſticos; ad extraneos vero quod attinet, mirâ fuit Carvalhus induſtriâ in reperiendis viis, quibus ad eorum hæreditates adiret, quorum nullo modo fuerat hæres inſtitutus. Præſtantis viri Petri da Motta, qui a ſecretioribus regis conſiliis fuit, ingentes opes & bona omnia ſurripuit Carvalhus, teſtamentum ab ipſo confectum pernegans, cum tamen Petri de Motta familiares teſtificarentur, eum ſine dubio teſtamentum confeciſſe, & capſam ipſam indica-

carent, in qua illud repositum fuisset. Eodem fere modo partem bonorum nobilissimi equitis Gondisalvi Christophori de Mello malo dolo, & iniqua fraude occupavit. Jam antea super ea re litem intentaverat legitimo possessori, qui jus suum in judicio persequens Carvalhum mendacii fraudisque convicerat, & adjudicata sibi causa victor evaserat. Nihilominus Carvalhus, ubi publicam rerum omnium administrationem, & summo Lusitanorum infortunio Regis gratiam nactus fuit, cum scilicet impune latrocinari atque adeo grassari potuit, vi & potentia id obtinuit, quod ante, quam in judiciis dominaretur, jure ac legibus & judicum sententiis consequi non potuerat. Multo autem minus displicuit D. Gondisalvo Christophoro, quod Carvalhus eum illa bonorum portione dispoliaverit, quam quod ad id obtinendum se ei consanguineum esse confinxerit; putebat enim virum illustrissimum cum homunculo Carvalho cognationem habere. At Carvalhus non satis habuit agnatum suum bonis spoliare, eum insuper parricidii & conjurationis insimulans in carcerem detrusit.

Inexhausta & inexplebili cupiditate ingentes opes cogendi & coacervandi, mirum est, quanto studio in id noctes dies-
que

que incumberet, ut iniquas ejus rei assequendæ sibi vias aperiret. Regi autor fuit, ut ad supremum dominium suum revocaret privatas aliquorum locorum terrarumque ditiones, ( feudum apellant ) quibus antiquorum regum beneficio ob præclara in patriam merita nonnullorum procerum familiæ donatæ fuerant. Quod ea mente fecit, ut ad se aliquid perveniret eorum, quæ ab aliis aufferebantur; nec sua eum spes fefellit.

Nihil æque Lusitanos fortunis locupletabat ac libera ubique negotiatio. Carvalhus, cujus cupiditas nullis opibus satiari poterat, institutis negotiatorum societatibus, quæ ad paucos pertinebant, quæstuosam universæ nationis mercaturam labefactavit, & complures familias ad egestatem redegit. Talis fuit societas Maranoniæ, & magni Fluminis Amazonum, talis de qua paulo ante mentionem fecimus celeberrima Societas vinaria; quæ magnum Lusitanis detrimentum attulerunt, at Carvalhi domum, quo ipse harum Societatum institutione spectabat, incredibilem in modum auxerunt ac locupletarunt; nam præter ingentem pecuniam, quam ab istarum Societatum membris colligebat, ut immoderatas immunitates, & tyrannica privilegia eis ab Rege

per

per fraudem extorqueret; hujusmodi Societatum patronus ac defenſor publice renuntiatus magnam peccuniæ vim eo nomine percipiebat; adde, quod ipſe quoque clandeſtinum earumdem Societatum membrum, ſeu potius caput, plus quæſtus ac lucri, quam cæteri omnes ex ipſa negotiatione capiebat.

Aliam quoque certiſſimam immenſæ pecuniæ viam inveniſſe creditur ( nec vana eſt conjectura ) fraudulentas nimirum auctiones. Nam collorum idem & bonorum ſector, quos falſo accuſabat, & per infandas calumnias capitali ſupplicio afficiebat, eorum inique proſcripta bona publici præconis voci ſubjiciebat, & clam ( uti conjicitur ) per ſuos neceſſarios, quæ plurimi æſtimabantur & re ipſa erant, viliſſimo pretio coemebat.

Certos homines ſibi plane addictos quibus plurimum ac merito confidebat, regio ærario adminiſtratores præfecit, ut illud ad libidinem ſuam depeculari poſſet. Quo factum eſt, ut ex innumerabilibus rapinis, præcipue vero ex impudentiſſimo ærarii peculatu tantum pecuniæ in privatam domum ſuam congeſſerit & coacervarit, ut Luſitanorum omnium opulentiſſimus evaſerit.

Ne

Ne ab impiis quidem ecclesiasticorum sacrorumque bonorum rapinis abstinuit hujusce Caji Verris infanda rapacitas. Eadem scilicet insatiabili cupiditate opes suas præter modum augendi, atque incredibili sacra omnia profanaque rapiendi & prædandi aviditate, ad regium ærarium traduxit omnem venerabilis Ecclesiæ Patriarchalis pecuniam, & gazam, ejusque administratione collegium Canonicorum per summam injuriam privavit, eamque ad suos ærarii administratores, id est ad se transtulit, quo liberius posset, uti sibi libuisset, clepere atque surripere. Piarum Sodalitatum pecuniæ, piisque legatis haud pepercit. Verum ex infinitis Carvalhi prædis, rapinis ac furtis nullum fuit tam impium ac sacrilegum, quam quod ipse in Goano S. Francisci Xaverii sepulcro ausus est perpetrare. Pombalii, quo fuerat relegatus, vitam degebat omnibus ignominiæ atque infamiæ notis pudendam, siquis in illa fronte pudor esse posset, cum Ulyssiponem appulit, exeunte Januario 1778, navis Goana; cujus navarchus statim, ut portum est ingressus, administros ab intimis Reginæ consiliis adiit, eisque denuntiavit ingentes undeviginti capsas auro argentoque facto, & pretiosissimis gemmis plenas, quæ ad Pombalii Marchionem, cujus jussu hæc omnia fuerant a

S.

S. Francifci Xaverii fepulcro ablata, Goa mittebantur. Lufitani, qui hanc facrilegam Carvalhi prædam & clandeftinam expeditionem penitus ignorabant, majorem in modum deteftati funt impiam atque infamem hominis aviditatem furandique licentiam, qui aufus fuiffet involare in pretiofa illa Principum dona & vota, quæ multi ob accepta beneficia Patrono fuo Xaverio obtulerant; religiofiffima vero Regina ad facrilegam nefandi prædonis audaciam impietatemque cohorruit, & pro fua erga magnum Indiarum Apoftolum pietate eas, de quibus dixi, undeviginti capfas, intacto argento, auro & gemmis, quibus erant plenæ, Goam renavigare juffit, omniaque S. Apoftoli fepulcro reftitui.

Cum igitur magis ac magis quotidie patefierent injuftæ ab ifto publico prædone factæ alienarum rerum occupationes; & multorum civium de intolerandis ejus rapinis increbefcerent querimoniæ, Fideliffima Regina pro fua æquitate liberam omnibus poteftatem fecit, agendi contra ipfum in judicio & jus fuum experiundi. Ac primum quidem lata judicum fententia denuntiatum fuit Carvalhi procuratori, ut fericorum artificum collegio viginti nummûm cruciatorum millia folveret; paludum moderatoribus

bus centum & quinquaginta millia; multa item millia Oratorianis Patribus; quas ille ſummas ſumptûs neſcio cujus in publicam rem faciendi nomine mutuas acceperat, nunquam tamen creditoribus ſolvendas; ſciebat enim fore neminem, qui deſperatam pecuniam exigere auderet. Præterea rapinæ in judicio convictus, ducenta millia cruciatorum nummûm, coactus fuit numerare ac reponere in arcam vectigalium ad publicas ædificationes aſſignatorum, unde illa extraxerat ad ædificandas privatas ædes in ſuam ſuorumque hæredum utilitatem.

Ex hujusmodi factis, quæ nemo inficiari poteſt, evidenter apparet, quibus actionum ſuarum principiis in publicæ rei adminiſtratione Carvalhus uteretur. Summam apud Regem gratiám nactus ſibi uni ærarii adminiſtrationem vindicaverat; quam ob rem ſui plane juris erat ad quævis conſilia exequenda; & arbitratu ſuo regiam pecuniam tractabat, atque in rem ſuam convertebat. Itaque nullam aliam in tanta rerum adminiſtratione legem regulamque, niſi propriam voluntatem, ſuamque unius libidinem ſequebatur. Rex neminem audiebat, niſi Carvalhum; nemini, niſi Carvalho fidem tribuebat; reliquos omnes habebat ſuſpectos. Hinc nemo, qui capiti ſuo conſu-

lere vellet, de Carvalho apud Regem queri audebat; et, quod inde consequens erat, infanda hujus monstri atque prodigii flagitia necessario quodam silentio veluti approbabantur. At ubi per justissimam Reginam omnibus licuit, ad justitiæ tribunalia suas in Carvalhum querimonias deferre, Deus immortalis! quæ & quam turpes exprimendæ a miseris Lusitanis pecuniæ rationes! quæ monopolia! quæ & quam tyrannicæ civium oppressiones! in multiplices diversasque facies ac formas quotidie apparebant, atque in lucem prodibant ejus furta, rapinæ, peculatus, sacrilegæ prædationes, quæ omnia complecti qui velit, immensum volumen conscribat, necesse est. Interea nos, ut his animadversionibus finem imponamus, ex gravissimo illo, ac summæ autoritatis alloquio, quod a clarissimo togato Francisco Coelio Silva coram omnibus regni Optimatibus, & universo populo Ulyssiponensi ad Fidelissimam Reginam publice habitum fuit, pauca in rem nostram delibabimus:

. . . . *Sanguine adhuc manant vulnera, quæ in Lusitaniæ corde fecit administratio illa tyrannica, quæ suo velut instituto, sibique proposito agendi fine, inimica fuit humanitati, religioni, libertati, virtuti, ac bonorum omnium meritis. Lectissimis viris, regni flore, horribi*les

*les custodias frequentavit, & arces omnes ac præsidia incredibili vinctorum multitudine replevit. Cives oppressit, & ad extremam miseriam redegit. Pontificiam autoritatem, Episcopalemque contempsit. Nobilium ordinem depressit. Mores contaminavit. Leges & judicia depravavit. Miseros Lusitanos, tamquam abjecta mancipia rexit modo valde inculto, agresti, barbaro, duro, ferreo, inhumano, & post hominum memoriam crudelissimo.*

*Quid igitur? providentis Dei consilio effectum est, ut tandem dissiparentur, & penitus evanescerent machinæ illæ, doli, fallaciæ, præstigiæ, quæ insidias defuncti Regis pietati tetenderant; & tantis, tamque nefandis* ( Carvalhi ) *flagitiis eximias majestatis tuæ virtutes opposuit. . . . Hæc ipsa divini Numinis providentia majestatem tuam servavit ab iteratis insidiosis conatibus, qui Lusitaniam ad extremam consternationem redegerunt. Omnipotens ejus brachium irritas fecit implicatissimas illas tricas atque obstacula, quominus majestas tua in sponsum haberet augustissimum Regem, qui hodie in nobis magna & lætitia & felicitate nostra dominatur. . . Eadem divini Numinis providentia effectum est, ut ad nihilum reciderent infames illæ* ( Carvalhi ) *machinationes, quæ adversus legitimam hæreditario jure majestatis tuæ successionem non semel attentatæ fuerunt. . . . , &c.*

JCB
19-067

11932

CA789
R696v